
DE LATINIS ET GRAECIS *nominibus arborum, frutičum, herbarum, piscium, & auium* Liber: *ex* Aristotele, Theophrasto, Dioscoride, Galeno, AEtio, Paulo AEgineta, Actuario, Nicandro, Athenæo, Oppiano, AEliano, Plinio, Hermolao Barbaro, & Iohanne Ruellio: *cum Gallica eorum nominum appellatione.*

TERTIA AEDITIO.



LVTETIAE,

Ex officina Rob. Stephani *typographi* Regij.

M. D. XLVII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

ROBERTVS STEPHANVS
typographus Regius Lectoribus S.

Ego uerò quod uobis nauare possum, quàm mediocre, & tenue sit intelligo, sed quod efficere possum, non committam, in eo, ut diligentiam meam requiratis. Conquerebantur multi, nomina ignorari, quibus arbores, frutices, herbæ, pisces, aues appellarentur, hàncque unam causam esse afferebant, cur earum rerum natura nobis incognita esset, sine quarum cognitione, iucunda uita esse non potest. Curauimus itaque totam eam rem ex Græcis & Latinis authoribus uobis describi: etymónque, quod uoces ipsæ habeant, ex Grammaticorum commentarijs adscribendum putauimus. Valete, & his fruimini.

DE ARBORVM, FRVTICVM, *herbarúmque nominibus, tam* Latinis, *quàm* Græ*cis, ex uarijs & receptis authoribus, cum* Gallica *eorum appellatione.*

Abies, ἐλάτη, Sapin. *Hæc arbor multis uerbis describitur à* Plinio *lib.* 16. *cap.* 10. Abies *autem à proceritate, quòd in cælum abeat, dicta esse uidetur.*

Abrotonum: uel, ut loquitur Theophrastus, *Abrotanum mas, sarmentosum, gracilibus ramis, ut Absinthium.* Auronne.

Abrotonum fœmina, in arbusculã fruticans, & candicans. petit Cyprez. *Scholiastes* Nicandri *in* The*riacis Abrotonum dictum scribit,* διὰ τὸ ἁβρὸν καὶ ἁπαλὸν φαίνεσθαι πρὸς ὄψιν. *id est, quòd sit delicatum aspectu & tenerum.*

Absinthium quum simpliciter profertur, à ueteribus Ponti*cum omnium præstantissimum intelligitur, quod* Mesues Ro*manum appellat.*

Absinthium marinum, siue Seriph*ium,* Barbotine, Mort aux vers.

Absinthium Santoni*cum in* Aquitania Santenique *appellatur.*

Absinthium uulgare, quod Galli Aluynam *ab* Aloës *amarore uocant, non uidetur ab antiquis inter absinthia comprehensum, nisi id esse uelimus, quod* Dioscorides βαρύπικρον *uocatum fuisse scribit.* Absinthiũ *autem* Grãmatici *à comicis* ἀπίνθιον *dictum, id est, quod nemo bibere posset, scribunt: uel* ἀπὸ τοῦ ἅπτεσθαι, *per antiphrasin, quòd nemo id attingat.*

Acacia, quandoquidem uera (quæ ex spina AEgy-

ptia fiebat) deest, nunc apud nos succus pruni sylue-stris dici potest. Le ius des petis pruneaulx cuicts, qui croissent es hayes & buissons, mesmement quand ils ne sont du tout meurs.

Aconitum lycoctonum, id est *Occidens lupos*, *Luparia*. L'herbe au loup. *Aliud est Pardaliāches, quòd eo pardi necantur. Officinæ quædam* vuam vulpicam *uocant. Theophrastus lib 9. de historia plantarum, & eum sequutus Nicandri interpres, Aconitu nomen habere ab Aconis Periandinorum pago, qui ad Heracleā Ponti est, ubi Hercules ab inferis Cerberum abduxit, ex cuius spuma Aconitū natum est, scribunt. Ouidius* ἀπὸ τῶν ἀκονῶν, *id est, à cautibus deductam esse sensit*, 7. *Metamor. Quæ quia nascuntur dura uiuacia caute, Agrestes aconita uocant. Grammatici* ἀκόνιτον *dici putant*, ὅτι ἀκαταπάλαισον καὶ ἀήττητόν ἐστιν· ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν ἀθλητῶν, ὧν οἱ νικηταὶ ἀήττητοι ὄντες οὐ κονιορτοῦνται. *Id est, Aconitum dictum est, quòd uinci non possit: translato sermone ab athletis, qui cum inuicti fuerint, puluere non insperguntur. Visa est hîc herba, è montibus Burgundiæ aduecta: cui rectè omnia à Dioscoride de Aconito scripta conueniunt: nisi quòd nondum experimento probatum est, ea lupos aut canes interimi.*

Acorus uel Acorum, Flambe bastarde, ou Glayeul de riuiere & de marez, & le Gal͞ga maior des apotiquaires. *Quanquā periculosum est pro Acoro capere Iridē illam palustrē*, la Flābe de riuiere: *propterea quòd earum herbarū qualitates cōtrariæ sunt. Acorus enim calidus est: Iris uerò illa aquatica frigida est.*

Acte, Latinè Sambucus, Suzeau, Seu.

Acylon, fructus arboris phellodryos, id est ilicis, quæ propriè Suber dicitur. Le fruict de l'arbre qui porte le liege.

Acynos, herba usqueadeò similis Ocymo, ut à multis putetur esse Ocymastrum. Herbe tant semblable au Basilic, qu'aucuns disent que c'est Basilic sauuage. *In quibusdam locis Galliæ appellatur Minutum Ocymum,* Basilic menu.

Adiantum albũ, est herba, quam Gaza apud Theophrastũ uertit Capillũ Veneris, nomine uulgo recepto.

Adiantum nigrũ, uulgò Polythrichon *dicitur. aliæ species suo ordine exponentur. Adiantum autem interpres Nicandri scribit dictũ esse* παρὰ τὸ μὴ διαίνεσθαι, καὶ βρέχεσθαι ὑπὸ ὑετοῦ καὶ δρόσου. τοῖς φύλλοις γὰρ αὐτοῦ ῥανὶς οὐκ ἐφιστάνει. *Id est, quòd nõ humectetur, aut irrigetur à pluuia & rore: folijs enim eius aspergo non insidet.*

Andrachne, Latinè Portulaca, Pourpier. *Serenus uocat Pulli pedẽ, quasi dicas* Poullepied: *quòd ea herba, præsertim quæ in uineis nascitur, pulli pedem figura referat. Hæc herba* αἱμωδίαν, *id est, dentium stuporẽ, à rebus acidis, acerbis, & austeris sanat.*

AEgilops, Auena sterilis, & frugum, ut Theophrastus 5. de causis plantarũ scribit, pestis. Festucago à Columella dicitur, quam rura quædam Gallica Folle auoine *uocant:* laquelle en aucuns pais est appelee Hauron. *Sic autem dicta creditur, quòd oculorum fistulis (quas* αἰγίλωπας *Græci uocant) medeatur.*

AEgîrus, Pópulus nigra, Peuplier noir, que aucũs nomment du Lauron. *Ad hanc arborẽ refertur ea populi species quæ Trembla dicitur.* αἰγείρου ἄνθη, *id est, flores, seu* σφαίρια, *id est, pilulæ primo partu folio-*

rum enascentes: Oculi populi in Officinis Pharmacopolarum dicuntur.

AEra, Latinè Loliũ, pestis est etiam tritici & hordei, quæ ab aliįs Yuraye, *ab aliįs* Nielle *dicitur.*

Agallochũ, Est ce que les Apotiquaires auecques Aetius & Actuarius, appellent lignum Aloes, duquel on fait des parfuns merueilleusement odorans. Aucuns des Cheualiers de Rhodes ont des patenostres de ce bois, & les dames en Italie communeement en ont, comme chose bien riche. *Quod uerò nunc ostenditur in Officinis, est uerius Aspalathum acre & austerum.*

Agaricum, est fungus innascens arboribus glandiferis, Ilicibus, Abietibus, & Laricibus, uulgò Agaric. *Quod olim mittebat Agaria Sarmatiæ regio, nũc suppeditant Alpes.*

Agasillis, L'arbrinceau qui porte la gomme, que les Apotiquaires appellent Ammoniacum.

Agrostis, Latinè Gramen, uulgò Dens canis *dicitur, quòd genicula & internodia huius herbæ, canis dentes figura & albore referant. Multiplex autem est. Aliud Panici more paniculas habet: aliud Arundini proximum est: aliud humi serpit, dicitúrque à quibusdam Vigoron, quòd uigeat, & in agris immortale sit. Ἄγρωστις uerò dicitur παρὰ τὸ ἱστάναι περὶ τὸν ἀγρόν, quòd in agro consistat.*

Aeizoon maius, Latinè Semperuiuũ. Sedum maius, uulgò Ioubarbe, *quasi Iouis barba.*

Aeizoon minus, uulgò Vermicularis.

Aeizoon hortense, uulgò Trique madame.

Alcea, Guimauue sauuage: *Vngarica herba ab Ita-*

lis dicitur. Alcea autem παρὰ τὴν ἀλκὴν, id est à robore dicitur, quòd fortiter dysenterijs & ruptis medeatur.

Alypum exponitur ab Actuario medico Turbith album. Nominis autem ratio significat, ᾧ μὴ πρόσεστι λύπη, id est, quod mœstitia uacat.

Alysson quibusdam putatur Chanure sauuage, alijs Rubia minor, alijs Syderitis tertia, alijs Cruciata, cui multum similis est. Sic autem dicitur (ut ait Galenus) quòd mirificè morsos à cane rabido curet. λύσσα enim rabiem significat. Multa de hac lege 2. Antidot. Galeni. Plutarchus Sympos. lib. 3. Alysson inter herbas eas numerat, quæ solo contactu, habitúue, aut aspectu prodesse homini possunt: nunc tamen contra rabidi canis maleficium sumitur.

Allium, σκόροδον, Aulx. Est & herba, quæ quia olet Allium, Alliaris, uel Alliaria dicitur.

Allium Vlpicum Columellæ, quasi dicas Punicum. Dicitur Græcis ἀφροσκόροδον, quòd ei trito multa spuma increscat.

Alnus, κλήθρη, Gallicè Aulne.

Aloë, quia uiriditate psittacum refert, uulgò Perroquet dicitur.

Alopecûrus, Latinè Cauda uulpina, herba similis omnino tritico, nisi quòd hirsutior sit, & folium ei latius sit, ut caudam uulpinam referat.

Alsine, Gallicè, Mourron, quod uocabulum factum est à muris aure. Itali uocant Pauerinam, quasi dicas gratam & iucundam pullis anserum. Sic autem dicta est, quòd τὰ ἄλση, id est, loca umbrosa & opaca amet. Gaza uertit auriculam muris.

Althæa, Guimauues, quasi dicas Maluauiscum:

propterea quòd eius radice paretur uiscum. Theophrastus lib.9. de historia plātarum μαλάχην ἀγρίαν, id est, agrestem maluam esse dicit: Galenus δενδρομαλάχην, id est, maluam arborescentem appellat. Virgilius & Palladius hāc herbam Ibiscum uocant. Dicitur ἀπὸ τοῦ ἀλθαίνειν, id est à medendo.

Alumen, Alun: στυπτηρία, ἀπὸ τοῦ στύφειν, id est, ab astringendo, Græcis dicitur.

Amaranthus, præsertim purpureus, Passeuelours, à priuatiua particula ἀ, & uerbo μαραίνεσθαι, quasi non marcescens.

Amarantus luteus, uulgò Stœchas citrina. Ea autem planta frequens est apud Santonas, & in Gallia Narbonensi. Quidam Amarantum eundem cum Heliocryso, alij cum Chrysocome faciunt.

Amaracus, Dioscoridi est nostra Maiorana, quam Græci σάμψυχον uocant. Amaracus autem Galeni, est ea species Partenij, quæ folia habet Coriandri, & dicitur Matricaria.

Ambrosia, uulgò Ruta vinacea, & Herba vini dicitur: nam odore uinum imitatur, ut quidam, Plinio authore, βότρυν appellarint.

Ambubeia, ea est Cichorij syluestris species, quam Græci à multo amarore πικρίδα dicunt: alij uolunt eam esse speciem, quæ uulgò Dens leonis, & Pisse en lict dicitur.

Ammi, ea est planta quæ à uulgo Pharmacopolarum Ameos appellatur.

Amygdalus, Amandier.

Amylum, Amydon, sic dictum, quòd sine mola fiat: nam factitium est, & ex medulla tritici præsertim

trimestris paratur.

Amomum, alijs dicitur herba Hierosolymitana, *alijs herba quæ fert rosam* Hiericuntis . *Amomi uua sæpe* Galeno *&* Actuario *ob id dicitur, quòd racematim uelut in uua cohæreat.* Habemus *Amomi semen præstantissimum.*

ἄμπελος λευκή, id est, Vitis *alba:* Brionia, Couleuree: *alijs* Feu ardent *dicitur, à ui baccarum eius rubentium urente.* Dicitur *&* P*silothrum, quòd ex eius acinis coria depilëtur. describitur elegantissimè à* Columella *in horto suo.*

ἄμπελος μέλαινα, Vitis *nigra:*Viburnum, Viourne, espece de Couleuree , qui ha les racines & fruict noir : *neque alia re differt à uite alba, nisi quòd hæc sit radice alba & fructu rubente: illa radice & fructu nigris sit. Qui putant uitem nigram esse nostrum* Hobelonum, *falluntur : nam* Lupus *salictarius non fert racemos, sed semina foliacea.*

Ampeloprason, Porrum *uineale, & agreste, simillimum ophioscorodo, folio porri, sed angustiore : uulgò* Cepa canina.

Anagallis fœmina, flore cæruleo est: mas uerò puniceo. V*traque plãta dicitur* petit Mourron, *&* Mourron quarré. *Quidam hanc herbam per* Corchorum *à* Nicandro *in* Theriacis *significatam existimant.*

Anagyris, frutex assurgens ad paruæ arboris altitudinem, folia agni casti habens, fructúmque ferens in siliqua, ut faba. Quæ uerò plãta uulgò Lignũ fœtidum *dicitur, ab* Anagyri *longissimè differt.* Nomen *ex eo inuenit, quòd excitata teterrimum odorem emittat.*

Androsemum, species Hyperici: Espece d'une herbe

nommee Millepertuis. Vox *autem significat* ἀνδρὸς *αἷμα, id est, hominis sanguinem: nam hæc planta trita hominis sanguinem refert.*

Anchusa, Orchanetta *uulgò dicitur. huius radice mulieres faciem inficiũt cum aqua & cerussa.* Thomas *Magister contendit dicendum esse more Attico* ἔγχουσα, *unde uerbum* ἐγχουσίζειν, *id est, fucare.* ἔγχουσαι *autem deducunt* παρὰ τὸ ἐν τῇ ῥίζῃ ἔρυθρὸν ἔχειν.

Anemone satiua flore est purpureo, & Coriandri *folio, uulgò* Herba venti. *flores à rusticis appellantur* Coquelourdes.

Anemone syluestris triplex est, flore purpureo, ceruleo, & albo: Rura eius flores Rubis & Passefleurs *uocant.* Plinius *Anemonẽ dictã putat, quòd flos nunquã, nisi flante uento, se aperiat.* Gaza *uertit* Fremium.

Anethum, Anet.

Anisum, humulius Anetho, Anis. *Nicander in* Theriacis ἄννησον *scribit per* η, *nisi mendum sit: cuius radices uenenatis resistere scribit: appellatur &* Fœniculum *Romanum.*

Anonis, uel Ononis, uulgò Resta bouis, & Remora aratri, *quòd, si in eam incidat arator, boues remoretur.* Quidam *deducunt* ἀπὸ τοῦ ὄνου, & ὄνημι, *quasi dicas* Asini *oblectationem.* Nam *ex Græcis quidam affirmant asinos in ea se uolutare, & dorsum suũ aculeis eius herbæ libenter exterere: in quibusdam* Officinis *dicitur* Acutella, *& in aliis locis* Galliæ, Bugraues.

Anthemis, χαμαίμηλον, Id *est,* Terrenum *& humile malum, ob id quòd malum redoleat.* Camomille.

Aparine, uulgò Rebulus, *uel* Rubia minor: Rieble & Gratteron. *dicitur &* φιλάνθρωπος, *quòd hominum*

uestibus tenacissimè hæreat:Itali uocant Grappellã.

Anthirrhinon,alij Oculũ cati *appellãt,alij* Mourron violet. N*omen ex eo habet,quòd(ut* Theophrastus *ait)* καρπὸς ὥσπερ μόσχου ῥῖνας ἔχει, Id *est, quòd semen uituli naribus simile sit.*

Aphaca,uel Aphace,est V*icia syluestris,* Vesse sauuage. Si *Græcum etymon respicias,ᾱ poterit esse priuatiuum,& φακῆ lens,quasi non sit lens.*Vel *potius ᾱ in ea dictione similitudinem & coniunctionem quandam significat,ut in uoce* ἄλοχος,ὡς ἅμα ἀνδρὶ τῷ αὐτῷ λέχει χρωμένη. Id *est,eodẽ cum uiro lecto utens.* A*phaca ergo ex eo dicitur,quòd sit lenti similis.*

Apium ,Græcè Selinon. Du persil . *Hoc* εὔοσμον Theo*critus appellat , quòd multam gratiam in iuribus habeat.*

Apiũ palustre,Græcè ἑλειοσέλινον, *quasi dicas Paludapium:uulgò dicitur* de la Berle.*Alij uolunt esse* de L'ache, *alij uerò id putant esse quod uulgò* Aigrum persil *dicitur.*

Apium petrosum, Græcè πετροσέλινον: *petendum est ex Macedonia,uel ex Epeiro.*

Apium magnum, Græcè ἱπποσέλινον:*Gaza ad uerbum Equapium.* E*st id quod uulgò dicitur* Petroselinum Macedonicũ.*Columella appellat Olus atrum, quod Ruellius putat id esse quod Galli uocant* de L'ache . *Conradus Gesnerus putat Petroselinum id esse quod in Alpibus Ostrutium dicitur, quo nunc Alpini ad omne morborum genus ueluti Panacæa utuntur.*Hieronymus *Tragus uulgarem Pimpinellam nostram ueterum Petroselinum esse contendit.*

Apocynon dicitur ob id Cynocrambe , quòd canes

enecet. frequens est in Burgundia prope Matiſconem, folio hederaceo, flore candido, fructu fabæ æmulo in ſiliqua. Ea planta dicitur à quibuſdam Hippomanes, quòd ſi equi ederint, in furorem (ut ſcribit Heſiodus) agantur. ἀπόκυνον eſt etiam μάζα μεμαγμένη φαρμάκῳ, πρὸς ἀναίρεσιν κυνῶν. Id eſt, Eſt panis ex ueneno aliquo piſtus, ad interficiendos canes.

Apollinaris herba, Altercum Plinio, Græcè ὑοσκύαμος, ad uerbum, Faba ſuis, uulgò Hannebanne. Cæterum quod ad nominis Apollinaris rationem attinet, quidam hoc nomine ab Apolline inſignitam tradunt, quòd doloribus mitigandis, quaſi Dei alicuius beneficio uim habeat. Hyoſcyamus autem dicitur (ut Aelianus refert) quòd paſtu eius conuellantur ſues, præſenti mortis periculo, niſi copioſa aqua ſtatim ſe foris & intus proluerint. Dicitur & à quibuſdam διοσκύαμος, id eſt, Iouis faba.

Aracus, Veſſeron.

Arbutus, Græcè κόμαρος. Arbre portant fruict de la grandeur d'une petite prune, que les tanneurs de cuir en Italie appellent Ceriſes de dela la mer.

Arction, in Officinis Bardana maior: uulgus Gallicum Glouteron appellat.

Argemone non habet aliud nomen, niſi quòd Hieronymus Tragus putat eam eſſe plantam, quæ uulgò dicitur Roſa frumenti: nomen autem habet ab ἄργεμα & ὄνημι, quòd oculorũ ἄργεμα, id eſt, albugines & nubeculas abſtergat. ῥυπτικὴ enim & διαφορητικὴ (id eſt, abſterſoria & diſcuſſoria) teſte Galeno, eſt.

Armoracia, ῥαφανίς, id eſt, Syluestris raphanus: Officinæ Pharmacopolarum uocant Rapiſtrum.

Arthritica, uulgò Primula veris, *Ruri appellatur Cuculi brachula.*

Aristolochia, uulgò dicitur de la Sarrasine. *Dicta est autem Aristolochia, quòd sit* ἀρίστη ταῖς λοχευούσαις, *id est, salubris parturientibus. Gaza Plinium imitatus uertit Mâlum terræ: sed eo nomine rotundam Aristolochiam tantùm appellandam omnes consentiunt.*

Armeniaca mala putantur omnibus nostra Arbricota, Nos Arbricos. *Tamen Plinius & Columella numerant inter pruna.*

Arnoglossum, Plantago, Plantain. *Ad uerbum significat linguam agninam, cui huius plantæ folia similia sunt.*

Arnoglossum minus, Plantago minor, quæ uidetur esse Lanceolata.

Arum & Arisarum plantæ sunt simillimæ, nisi quòd Arisarũ multò minus est Aro. In Officinis dicuntur Iarum, Pes vituli, Serpẽtaria minor. *Vulgus uerò plantas has, quòd pistillũ promant exerti genitalis effigie, nunc* Sacerdotis, *nunc* canis virile *nominat.*

Artemisia, Armoise, Herbe de sainct Iehan. *Artemisiã autem uocatam existimant ab Artemisia Mausoli regis uxore, quæ eam adoptando sibi cognominem fecit. Alij à Diana, quæ* ἄρτεμις *dicitur, quòd ea huius herbæ uires prima ostenderit: & quemadmodum Dea illa inuocata, parturientibus adesse solebat, sic herba hæc, Deæ huius beneficio, malis mulierum medeatur, menses, secundas, fœtúsque trahendo, & matricis conclusiones, & inflammationes sanando.*

Artemisia, πλατύφυλλος, *id est, lata habens folia simpliciter dicitur* Armoise.

Artemiſia, λεπτόφυλλος, id eſt, tenuia habens folia, Matricaria uulgò, & Eſpargoutte.

Artemiſia, μονόκλωνος, id eſt uniramis: uulgò dicitur Athanaſia: alijs dicitur Tanacetum: alijs uidetur eſſe herba ea, quæ florẽ Oculum Indicum dictum profert.

Arundo, Roſeau.

Arundo gracilis, Columellæ temporibus Canna dicebatur.

Arundo uernacula, quæ Græcis dicitur δόναξ, & Plinio Cypria arundo, fert pappos in ſummitate non inutiles ad culcitras faciendas.

Arundo farcta & craſſior Dioſcoridis, ex qua fiebant ſagittæ, non eſt apud nos: adhuc in Græcia eſt.

Arundo συριγγίας, id eſt Fiſtularia, ex qua fiunt calami ſcriptorij.

Arũdo χαρακίας, id eſt Vallaris, in ſepibus & uallis frequens: ab Italorum uulgo nunc Græcanica dicitur.

Arundo tibialis, ſiue muſica, ex qua tibicines conficiunt ligulas, Des anches.

Arũdines illæ crebræ in noſtris ſtagnis hoc ſolo differre uidentur, quòd altera mas, altera fœmina ſit.

Aſarum, ſeu Bacchar, literis tranſpoſitis Gallicè Cabaret dicitur. Aſarum ſic dictum Plinio uidetur, quòd in σειρὰς, Id eſt, coronas textiles nõ ueniat. Heſychius tamen ἄσαρον quaſi ἀσάρωτον, Id eſt, non purgatum, dictum eſſe putat.

Aſcyron, ſimile eſt Hyperico, id eſt plantæ, quæ Gallicè dicitur Millepertuis, uulgò autẽ hæc herba fœnũ durum dicitur: cui Græci uidẽtur à contrario nomen impoſuiſſe: σκῦρος enim illis ſignificat aſperitatem.

Aſpalathus inuenitur in Gallia Narbonenſi, ſpina

ad paruam arborē aſſurgens, folio rutæ, ſed deciduo, ubi Argilier à uulgo dicitur.

Aſparagus altilis, à Latinis regius dicitur. Eſparge.

Aſparagus ſylueſtris, Aſparagis Iulio Polluci dicitur. Corruda Latinè. Attici ſcribunt ἀσφάραγος.

Aſphodelus, Haſtula regia. In Officinis corruptè Afrodilus dicitur. Plāta eſt folio porraceo, radicibus magnarum glandium effigie, multis ſimul agnatis, & porcorum cibus eſt. Quidam Latinè Albucum dici putant, ſed Albucus eſt propriè mas, Haſtula regia uerò eſt fœmina.

Aſpleniū, Ceterach à Pharmacopolis dicitur. Ea autem herba nomen inuenit ab imminuendo ſplene.

Aſter atticus, uel acticus potius, quaſi dicas littoralis, inuenitur in litore noſtri maris flore intus luteo & circum purpureo, & folijs in ſtellam decuſſatis.

Aſtragalus, Ruſticum uel montanum cicer, Cerres ſauuages. Sic dicta eſt ea herba, quòd radicem craſſam & aſtragalo oſſi ſimilem habeat.

Atractylis mitior & caulem habens ſine folijs, eſt Cnicus ſylueſtris. Saffran baſtard, ſauuaige. Latini fuſum agreſtem, aut colum ruſticam uocant, quòd eius caule rigido ueteres mulieres pro colo uterentur: quod nominis Græci ratio indicat, ἀτρακτυλὶς enim dicitur ἀπὸ τοῦ τὰς ἀγροίκους γυναῖκας ἀτράκτους ποιεῖν ἐξ αὐτῆς, Id eſt, ex eo, quòd ruſticæ mulieres ex ea fuſos compararent.

Atractylis caule hirſutiore, Carduus benedictus quibuſdam eſſe creditur.

Atriplex, ἀτράφαξις, Arroche, Bonnedame. Atriplicem autem quidam ab atrore, quòd ſanguinem

atrum efficiat, dictum putant. uocatur & Chrysolachanon, id est, aureũ olus, quòd eius folia flauescant, quando festinat ad semen. Nostra spinachia à quibusdam ad Atriplicem referuntur.

Auellana nux, quasi Abellina: ab Abella oppido unde primùm allata est, Auelline, Noisette. λεπτοκάρυον Galeno, & Simeoni Sethi.

Auena, βρόμος, Auoine.

Auricula muris, Myosotis, à quibusdam putatur esse eadem cum Alsine, quæ uulgò dicitur Coquille de prestre, ou Mourron.

B

Baccharis, herba uulgò dicta Les gans de nostre dame. Virgilius fascinum hac herba depelli scribit. Galenus in Exegesi uocum Hippocratis, dicit interdum accipi pro herba, interdum pro unguento Lydio.

Balaustium, secundum Dioscoridem & Galenum, est flos mali granati syluestris, uulgò Des balustres.

Ballote, Marrubium fœtidum, uel Marrubiastrum, Plinius scribit hanc herbã alio nomine à Græcis Melãprason uocari. Officinæ uocant Marrubiũ nigrum.

Balsamum, Baulme: arbuscula est, qua scarificata existit opobalsamum uiribus præstantissimis ad glutinanda uulnera. Quod nunc ostenditur à principibus pro Balsamo, est factitium.

Balsamine, est arbuscula ferens poma mirabilia, Pommes de merueilles. Est autem ea frequens in hortis D. Germani ad urbem.

Batis, alia dicitur Cretha marina, alia est hortensis, quæ Plinio dicitur Asparagus Gallicus: uulgus nostrũ nunc Bacilas quasi Baticulas appellare didicit.

Batrachium, Latinè Ranunculus, ab urendi facultate Flammula dicitur. Batrachij species ea, quæ folijs apium refert, uulgò Apium ſylueſtre, & Apiũ riſus nominatur. appellatur & Sardoa aut Sardinia herba. Strabo ſcribit Hiſpanos toxici genus ex hac herba confeciſſe, quo hauſto, citra dolorem mortem ſibi conſciſcebant. Inuenitur hîc Batrachij genus folio aliorum ranunculorum modo, & florem luteum Martio proferens, radice bulboſa, rotunda, nucis auellanæ magnitudine, qua pollici manus & pedis admota, multi hoc anno à peſte perſanati ſunt. eſt enim cauſtica herba adeò, ut puſtulas excitet, uenenúmque trahat. Omnia alia genera Batrachij ſunt hîc frequentiſſima in uineis, ſyluis, & paludibus.

Bechion, Latinè Tuſſilago, uulgò Vngula caballina, & Pas d'aſne, Farfarum etiam dicitur propter ſimilitudinẽ cum populo alba. Bechion autem appellatum eſt, quòd βῆχας, id eſt tuſſes, & orthopnœas iuuet.

Bellis, uel Bellius maior, Grande marguerite. Officinæ uocant Conſolidam mediam.

Beta, Græcè τεῦτλον. De la poree.

Betonica, κέστρον. Betoine.

Betonica erratica. Des armories.

Betonica altilis, Oeillet.

Betula, Bouleau.

Blitum, Poree rouge. herba eſt inſulſa & inutilis: unde Meretrix blitea, apud Plautum in Truculento. Galli uocem ſuam qua inutiles homines Bliſtres appellant, hinc deduxiſſe uidentur. Feſtus Blitum à Græca uoce βλὰξ deducit. In quibuſdam locis Galliæ id olus dicitur Hurgon.

Botrys *frutex*, Pymāt. *Sabaudi uocant* la Miraine.

Botrys *herba, est ea quam uulgò* Herbam Hierusalem *appellant*.

Brassica, des Choux.

Brassica Tritiana *Columellæ*, & *Lacuturris* Plinij, *à uulgo Gallorum* Caulis capitatus *dicitur*.

Brassica *apiana, quam & Cato* Selinoeiden, *quòd apium referat, appellat* Choux crespus.

Brassica Sabellica, *siue Marucina* Plinij, Choux rouges.

Brassica *marina*, & Olus *marinum* Plinij, *uulgò* Soldanella.

Brassica *syluestris, lege* Cynocrambe.

Bryonia, De la Couleuree, *alij* Du feu ardent. Vide ἄμπελος λευκή.

Britannica, *alijs ea herba est, quæ ab* Italis *dicitur* Piatamana: *alijs ea quæ dicitur* Bistorta: *alij putāt esse* Lapathū *acutum*. *Eius autem herbæ etsi origo ad* Britannos *refertur, circa* Rhenum *tamen in* Germanici Cæsaris *exercitu inuentam* Plinius *author est*. Ad Ostia Rheni Soldanella *lapathi folio etiamnum inuenitur*.

Bromus, Auoine.

Bucraniū, Antirrhinon, *uulgò* Oculus cati, Mourron violet. *Quare autem* Bucranium *dicatur, iam expositum est*.

Buceros, Fœnum Græcum, Senegré: *Columella simpliciter* Siliquam *appellat*. Buceros *dicitur, quòd eius siliqua cornu bouis referat*.

Buglossum *lingua bouis, est nostra* Borrago, *quasi* Corrago, Baillant courage. *Nam* Buglossum *sanguinem melancholico contrarium gignit, unde* ἀφρό-

σιυον à Græcis dicitur.

Buglossum, *siue* Buglossa *nostra uulgaris, est* Cirsion Dioscoridis.

Buglossum, *est etiam nostra* Solea, *piscis.*

Buphthalmus, *uidetur esse* Cotula *non fœtida.* Cæterũ *quòd dixerit* Dioscorides *flore esse luteo, ad mediũ floris, quod luteum est, respexisse uidetur.* Sic dicitur, *authore* Galeno, *quòd bouis oculum referat.*

Bulapathum, *siue* Hippolapathum, De la parelle.

Bulborum *nomine ferè intelligimus quas* Eschallotes & Oignonnette, & Appetiz *dicimus.* Nicander *in* Theriacis *scribit semen bulborum aduersari ueneno.* Veneri *porrò mirè auxiliantur, ut* Martialis *in libro* Xeniorum,

Cum sit anus coniux, cum sint tibi mortua membra,

Nil aliud bulbis quàm satur esse potes. Columella *item de ijsdem in* Hort. *ait,*

-quæque uiros acuunt, armántque puellas:

Iam Megaris *ueniant genitalia semina bulbi.* Ob *id (ut* Varro *scribit) in legitimis nuptijs olim apponebantur.*

Bulbus *etiã nomen commune esse potest omnibus, quæ radicem coagmentatam instar cæparum habent, pelliculis ac inuolucris intectam, ut bulbi* Narcissi & *bulbi* Cannarũ *apud* Columellam *lib.* 4. Ab *hac autem similitudine,* Paul. *lib.* 3. *cap.* 22. *totum oculi corpus unà cum tunicis ac humoribus bulbum appellat.*

Bunias, Bunion, Napus, Nauet.

Buxus, Bouis.

Butomus, Ionc de quoy on fait les cabas.

Bryon, *significat* Muscum *arborũ,* De la mousse: & Muscum *eũ, quo lapides in mari* & *fluuijs (ut* Co-

lumellæ uerbo utar) muscantur, quē AEtius uocat Hypnum & Sphagnon. Est & Bryon, uillosa quædam congeries in plantis & earum floribus, ut ex Theophrasto lib. 9. De histor. plantarum colligere licet.

C

Cancamum, in Officinis Cacca dicitur: Actuarius uocat Laccam.

Calaminthæ Dioscoridi tria sunt genera, quorum primum nihil aliud, quàm uulgare nostrū Calamentum: secundum Latinè Nepeta appellatur. tertiū est nostra herba, Cataria, L'herbe au chat. Nicander καλαμίνθον ὑδρηλὼ, id est, aquaticam Calamintham ueneno resistere in Theriacis scribit.

Cactus à Siculis, Cinara à Græcis dicitur, Artichault. Vide Athenæū lib. 2. Dipnosophist. & Theoph. lib. 6. De hist. plantar.

Calitrychon, est Adiantum album. plura in Polytrichon.

Caltha, Gallicè Soulcie, quasi Solsequie. Nā cum solis ortu aperitur, & cum occasu clauditur. hanc Virgilius luteolo colore tinctam cecinit, & Columella flauentia lumina Calthæ scribit.

Cannabis, Du chanure. Cannabis erratica similis est Eupatorio.

Cacalia, Officinis Lilium conuallium. Gallicè, Grand muguet. Quidam putant esse Cancamum Galeni: Paulus tamē non Cancamū, sed Cancamo similē Cacaliā scribit. aliј dicunt semen esse Carui agrestis.

Capnos uel Capnios, Fumeterre. Sic dicitur, quòd eius succus oculis infusus, eis noceat, fumi modo.

Capparis, Cappres.

Carus uel Carum, uel, ut recentiores quidã Græci, Carnabum uel Carnabadium, Des carottes: *Officinæ* Carui *uocant.*

Cardamum, Cresson alenois. *Vide Nasturtium.*

Cardamine, Cresson qui viẽt es ruisseaulx. *quæ herba nihil aliud est, quàm Sisymbrium aquaticum.*

Cardamomum, Graine de paradis. *Itali uocant* Melligretam.

Caryõ basilicũ, Nux regia, Iuglãs psica, Vne noix.

Caryon myristicon, id est, Nux *unguentaria: uulgò* Nux moschata.

Caryophillon, Clou de Girofle.

Carduus, simpliciter est Artichault. *Et is duplex est, Satiuus, qui* Artichault *Gallicè dicitur: hunc uerò nonnulli, propterea quòd figura imitetur nucem pineam,* στρόβιλον *appellant. Agrestis est* Chardonnette. *Carduum autem aduersus uenenata uim habere Nicander author est.*

Carpinus est inter genera Aceris, Gallicè, Charme.

Casia syrinx antiquorum, est nostrum Cinnamomum, id est, nostra Canella.

Cassutha, uulgò Podagra lini, Goutte de lin, c'est vne petite herbe qui croist parmi le lin, & le suffocque.

Catanãce, Pate de loup, *alij* Bistortã: *Catanãce autẽ dicitur* παρὰ τὸ κατ' ἀνάγκην, *quòd cogat ad amorẽ.*

Caucalis, Persil bastard. *In Officinis quibusdam dicitur* Pimpinella hirsuta.

Cenchron, & Cenchros, Milium.

Centaurium maius usitur in hortis D. Vassei medici Parisiensis: uocatur perperã in Officinis Rhapon-

ticum: *inuenta autem est hæc planta à Chirone Centauro Herculis sagitta uulneratо.*

Centauriū minus Plinio propter multam amaritudinē, Fel terræ dicitur. Olim in Gallia ea plāta Exacū dicebatur, quòd omnes corporis morbos per aluum abigeret, quasi ἐξάγον. uulgus adhuc ex eo uocat Sacotin. *Nomen autem habet à Chirone Centauro.*

Cepa, κρόμμυον, olim Vnio dicebatur, unde Gallicum nomen, Oignon. *Ea capitata si sit, Marsica cepa dicitur. Athenæus lib.9. Dipnos. scribit κρόμμυον dici παρὰ τὸ τὰς κόρας μύειν, id est, à claudendis oculis. Nam dum à nobis scinditur, oculos claudimus, lachrymásque fundimus: unde Lachrymosa cepa Columellæ dicitur. Ceparū autem discrimina ex nationibus lege apud Theophrastum, lib.8. De hist. plantarum.*

Cepa canina, est Ampeloprasson, id est, Porrum uineale.

Cepæa, Portulaca aquatica *uulgò dicitur.*

Ceraitis, à quibusdam Fœnum Græcum, *id est,* Senegré. *Vide Buceros.*

Cerasus, Cerisier.

Cerasia, Guisnes doulces.

Cerasia Actiana, Guisnes noires.

Cerasia Aproniana, Guisnes fort rouges.

Cerasia Cæciliana, Guisnes fort rondes.

Cerasia acida, Griotes.

Ceratonia, arbor est cuius fructus Latinis siliquæ uocantur.

Chamæacte, Humilis sambucus; Latinè Ebulus, Hieble.

Chamæcerasus, authore Asclepiade quodam Myr-

leano apud Athenæũ, lib. 2. Dipnoſ. in Bithynia naſcitur, cuius fructus edentiũ caput tentat nõ minus, quàm uinũ. Quod idem tribuitur mimecylis, id eſt, fructui arbuti, quem Itali nunc Ceriſes d'oultre mer appellant.

Chamæcypariſſus, Humilis cupreſſus: uulgò Parua cypreſſus dicitur, quæ nihil aliud eſt, quàm Abrotonum fœmina: quam plantam Gallicum uulgus appellat petit Cyprez.

Chamæciſſos, Hedera terreſtris.

Chamædrys, Quercus humilis, & Trixago, Cheſnette, ou de la Germandree.

Chamælea, eſt Parua olea: in Officinis appellatur Mezereon: tamen multis non placet eſſe Mezereon Meſuæ, ſed id potius quod dicitur Linum ſylueſtre, quod in quibuſdam locis Galliæ dicitur Gentil bois.

Chamæleon præſertim niger, eſt folijs ſimilibus Cinaræ, ſed ſpinoſioribus: in Officinis autem quibuſdam dicitur Cardopatium, & Carduus ſuarius, quòd ſues, ſi in polenta exhibeatur, interimat.

Chamæleon albus, non habet caulem, ſed è medio foliorum complexu ſtatim à radice caput exerit, breui pediculo fultum, & denſioribus ſpinis echinatum, in quo flores emicant purpuraſcentes, & ſe in pappos diſſoluentes: ſemen autem non eſt diſſimile Cnico: frequens eſt in neglectis agris, & in montibus, ob id ὀρεινὸς à Nicãdro dicitur. In quibuſdam Officinis dicitur Carlina, à uulgo appellatur Chardouſſe.

Chamæpitys, Humilis & terreſtris pinus, Aiuga Scribonio dicitur, uulgus Iuam Muſcatam appellat.

Chelidonium maius, Chelidoine, Eſclere.

Chelidoniũ minus, uulgò Scrofularia minor dici-

tur, quòd strumis, quas Græcum uerbũ χοιράδας exprimentes Scrofulas appellant, medeatur. Quidã è uulgo Des bassins appellãt. Chelidonium autẽ dictum est, uel quòd ea planta in aduentu hirundinis (ut Theophrastus lib. 8. De histor. plantar. ait) floreat, uel quòd pullis suis, hac herba hirundines oculos restituant.

Chondrilla, est illa Sereos species, quæ in segetibus floribus luteis cõspicitur, & est uerum Taraxacon.

Chrysanthemũ à quibusdã putatur esse Des marguerites blãches, sed nõ rectè: nam flos illi luteus est. uidetur autem ea planta in ripis Gẽtilliacis. Vel potius Chrysanthemum, est ea Anthemidis species, quæ folijs per ambitum luteis constat, ut Leucanthemum albis.

Chrysolachanon, Atriplex, Bonnes dames.

Cicer, ἐρέβινθος, Chiches. Cicerũ autem differentiæ (ut uertit Plinius ex Theophrasto) plures sunt, magnitudine, figura, colore & sapore. Nigrum cicer quod & κριὸς, id est, arietinũ, quòd in eo producta oscilla arietinũ rictus imaginem efficiant, uocatur: Galli id genus appellant Chiches. aliud genus dicitur Columbinum, quo per hyemem aues illæ pascuntur: hoc & Venereũ Plinius uocari ait, Columella Punicum gentili nomine appellat: id autem est candidũ, rotundũ, læue, arietino minus. Cicerculam etiã Columella Ciceris nomine censet, quod legumen uulgus Gallicum Iesse appellat.

Cichoriũ, est Seris syluestris, quæ Picris dicitur, Cichoree sauuage. Vide Seris. Iulius Pollux scribit nomine Cichorij omnia syluestria olera comprehensa ab antiquis, quæ gracilia & tenuia cognominabantur.

Cyclaminus alia, radice est rotunda, unde nomen habet, folio hederæ infernè suppurpurascente, & su-

pernè uirescente. Alia emittit radiculas sursum superuacuas & inutiles. Latini Cyclaminũ Rapum & tuber terræ appellant, uulgò Panis porcinus dicitur.

Cicuta, κώνειον, Cigue. Cicutæ famam auxerunt Athenienses: nam succo eius ad mortem in publicis iudicijs utebantur: uenenata est enim potio, ut est apud Nicandrum in Alexipharmacis.

Cydonia malus, Vne coingnaciere. Dicta est autẽ Cydonia (authore Q. Sereno) quòd è Cydone Cretæ insulæ urbe aduecta sit.

Cinnamomum, uel ipsis indigenis quid sit ignoratur. Nostra enim Canella est uera Casia antiquorum.

Cinara, Artichault: à puella quæ in eam plantam mutata est.

Cynosbatos, Rubus canis, Esglantier. De hoc dicetur in dictione Rubus.

Cynoglosson, Lingua canis, est planta similis Orchanettæ nostræ, sed est sine caule. non quidem Lingua canis herbariorum uulgarium: nam uerum Cynoglósson folio est molli, uenoso, latiusculo, lanugine molli. canescit, & in sabuletis nascitur.

Cyparissus, Cyprez. Pilulæ cupressi dicuntur Coni, unde Coniferæ cupressi apud Virgilium. Marcus Varro Galbulos uocat: Græci eas uocãt σφαίρια κυπαρίσσου. Grammatici annotant dictam esse παρὰ τὸ κύειν παρίσους τοὺς ἀκρεμόνας, id est, quòd pariles fructus & ramos pariat. Lege Ruellium.

Cyperus: tota planta est Souchet. Sunt qui Galangã syluestrẽ uocant. Cornelius Celsus Iuncum quadratũ, Plinius Iuncum triangularẽ & angulosum appellat.

Cyperis, radix cyperi, præsertim ea quæ oblongæ

oliuæ similis est, præcipui in medicina usus.

Cypirus, palustris planta, Gladiolus à Gaza uertitur, à cultellati folij figura.

Circæa, planta dodrantalis, Solani folijs, fruticosa, semine hirsuto, uulgari nomine caret. nomen autem à Circæ habere uidetur.

Cirsion, Vide Buglossum.

Cisthus, frequẽtissima est in Gallia Narbonensi, ubi ea nõ assurgit supra hominis altitudinẽ: ex huius plantæ radice existit uelut fungus Hypocisthis dictus: ex quo contuso fit Hypocisthis Pharmacopolarũ. Dicitur autẽ in ea regione planta hæc, & in montibus Senensibus & Lucensibus, lingua canina, De la garine. In altero genere Cisthi est ros quidã pinguis, caprarũ, hanc plantã depascentium, barbis inhærens, qui dicitur Ladanum.

Cytinos, uocamus futura mora: quare prima germinatio unde promittimus nobis malũ Punicum, est Cytinus: alij uolunt Cytinum florem mali Punicæ satiuæ, Balaustium uerò agrestis: uox autem hæc deduci uidetur à nomine κύτος, quod captum & ambitum significat. nam Cytini in Punicis dicti sunt, quòd suo ambitu & captu futurum iam pomum intra se contineant, & quasi conceptos acinorum fœtus ad maturitatem complectantur.

Cytisus, caule est longo, crasso, ut brassica: folio trifolij pratensis. Quærendus est in alpibus: flos eius tam magnus est, ut satis sit capræ pascendæ in unum diẽ. eius autem laudes lege apud Columellam lib. 7.

Clematis daphnoides, Vinca peruinca Plinio, uulgò Du lisseron, De la peruenche.

Clinopodium, folijs est serpilli, floribus in geniculis

imitantibus florẽ Marrubij, *quidam uocãt* Pulegium *montanum: uox ad uerbum significat* Pedem lecti, *quẽ hæc planta figura imitatur.*

Clymenum, *uulgò* Saponalis, & herba Cypria: *Plinius scribit inuentum à rege Clymeno.*

Cnicus, *uel* Cnecus, *Officinis* Cartamum *uocatur,* Saffran sauuage, & bastard.

Cocalus Hippocratis, La pomme de l'artichault. *Quidam ex Latinis uocauerunt echinum illum siue capitulum* στρόβιλον, *quòd nucem pineam referat.* Columella *totam plantam uocat Cinaram.*

Coccus tinctoria, κόκκος βαφική, *species est* Ilicis *humilis, quæ in Gallia Narbonensi frequentissima est, ubi* Vermeillon: *ab alijs* Escarlatte *dicitur: Arabes uocant* Kermes, *unde Cramoisinus color, quasi Kermesinus.*

Colchicum, Mort a chien.

Colymbades oliuæ, quæ puræ, id est, sine accersita commendatione oleo suo innatant, & ueluti urinabundæ fluitant. Dictæ autẽ sunt ἀπὸ τοῦ κολυμβάζειν, *id est, urinari. Diphilus quidam apud Athenæũ dicit* ἐλαίας ὀλιγοτρόφους εἶναι, καὶ κεφαλαλγεῖς· τὰς δὲ κολυμβάδας καλουμένας εὐστομαχοτέρας: id est, *Oliuas parum alere, & malum capiti inferre: colymbadas autem stomacho magis conuenire.*

Colocasiæ uel Colocasij nomine, totam plantam fabæ AEgyptiæ Plinius: *Diphilus uerò apud* Athenæum *lib.2. Dipnosophist. solam radicem intelligit.*

Colocynthis, colocynthidos, Courge sauuage, Coloquinte.

Colocyntha hortensis, Cucurbita, Courge.

Colutea, uel Colytea, Baguenaudier.

Conferua, est herba uillosæ densitatis atque fistulosæ: ea autẽ inuenitur enatãs fluminũ uadis, spongiæ referens imaginem. uulgus Spongiam fluuialẽ uocat. Nomen ex eo inuenit, quòd præsentaneum sit (authore Plinio) remedium aduersus fracta ossa, quæ cum per poron glutinantur, conferuere à Celso uocem Græcam Hippocratis κρατιώεσθαι exprimente, dicuntur.

Conyzæ utriusque folia sunt oliuæ similia, hirsuta, pinguia: in maiore, caulis duorum cubitorum altitudine attollitur: in minore, pedem æquat. Theodorus Gaza apud Aristotelem lib. 5. De histor. animalium, uertit Pulicariam. quo loco Aristoteles polypum à saxis, nisi admota cunila, cuius odorem sentiat, non posse auelli tradit. Quem locum Plinius lib. 10. cap. 70, exprimens, Conyzam, Cunilam interpretatur. Dicitur uulgò Herba pulicaris, Herba contra pestẽ, & Herbe de sainct Roch. Nicander in Theriacis & Alexipharmacis, ueneno resistere scribit.

Cõsiligo Columellæ & Plinij, ea est plãta, quæ nũc à uulgo Gallorũ Pomelea; quasi Pulmonea dicitur, quòd remedium sit præsens aduersus pulmonum uitia: hac enim utuntur ueterinarij medici in affectibus pulmonum. Quidam herbarij Patam leonis uocant.

Conuoluulus, ἐλξίνη κισσάμπελος, folijs est hederæ longè minoribus, & in mucronem turbinatis, & herbas alias suo reptatu inuoluit: uulgus Campanulam, & du liset appellat: in Officinis Volubilis dicitur: quidam & Liliastrum uocant. Nam (ut Plinius ait) Conuoluulus, est rudimentum naturæ lilia facere condiscentis. ἐλξίνην autem ἀπὸ τοῦ ἕλος καὶ ξένος deducunt, quasi dicas paludum hospitem.

Coriandrum, κορίανον, *uel* κόριον, Coriandre. *Nicander reponit inter uenenatas potiones.*

Corylus, Couldre.

Coris, est genus Ericæ, Vne sorte de Bruyere.

Cornus, Cornouiller.

Coronopus, ab alijs dicitur Capreola, *ab alijs* Gramẽ, *quod uulgus* Dentẽ canis *uocat: alijs putatur herbula nascẽs in syluis, folio nascentis coriãdri: alijs uidetur esse* Cornu ceruι. *Quãuis autẽ etymõ sit* Pes corui, *non est tamẽ ea planta, quæ pro* Pede corui *ostenditur.*

Corruda, Vide *Asparagus.*

Costus, apud recentiores Græcos ea herba est, quæ uulgò dicitur Du cocq. *Ruellius putat id esse quod Plinius* Siliquastrũ *&* Piperitim *uocat,* De la poyurette. *Sunt qui mentham Romanam uocant, alij mentham Sarracenicam. Veteres Græci per* Costum, *radicem tantùm intelligebant, quam etiamnum habemus admodum acrem. Costus autem Arabum dulcis, Græcis indictus est, sed* κόστος γλυκὺς *Actuario, Arabas imitanti, in secundo* Dialacham *dicitur.*

Cotyledon, Vmbilicus Veneris. *Nomen retinet. Sunt Officinæ quæ* Cymbalariam *uocant: uulgus Italicum* Dinarellam *uocat. Nomen ex eo habet, quòd folio sit rotunditatis circinatæ, in medio cauato, acetabuli more: nam* Cotyledon, *acetabulum significat.*

Cotoneum malum, κυδώνιον. *Duplex est: aliud minus, rotundius, & acerbius, quod masculum uocamus: Gallicè,* Coing franc: *aliud longius, maius, & minus acerbum,* Coingnasse. *Galenus autem, ea mala uocat* Struthia: *& lib. 2. Alimentorũ,* Struthiomela, a cause qu'ils resemblent a vng oeuf d'Autruche.

Crataeogonum, Curage uocatur à Gallis, à multa acrimonia qua urit. Nomen ex eo habet, quòd uiri & fœminæ semini dominetur.

Crategon, Aquifolium, Houx.

Crithmon siue Crithamon, Batis Plinio (unde etiã num Baticulam Ligures uocant) & Olus cordum Columellæ dicitur. Creste marine. Huius herbæ conditu-ram lege apud Columellam lib. 13. cap. 13.

Crinon, Latinè Lilium, Lis.

Crocus, Saffran.

Crocodilium, nomen retinet. Ruellius omnino arbitratur esse eam herbam quam Carlinam appellant.

Croton est Ricinus, id est, palma Christi. Sic autem dicitur, quòd semen τὸν κρότωνα, id est, uermiculum referat qui canibus hæret, quem uulgus Gallorum Tiquam appellat.

Cucurbita, Courge.

Cucurbita cameraria, quæ facili & admodum flexibili ramorum curuitate tecta, operit pergulas.

Cucurbita anguinalis, crescens in multã longitudinẽ.

Cucurbita somphos Græcis dicta, coactæ breuitatis, digitali crassitudine, & in saxosis nascens, à nobis Barbara & marina dicitur.

Cucurbita hortensis, κολοκύνθη dicitur, quam Athenæus & σικύαν à Nicãdro in Georgicis appellari scribit. sed Grammatici hoc esse discrimen inter κολοκύνθην & σικύαν esse uolunt, quòd κολοκύνθη, cucurbitam rotundam & in globum tumentem significat: σικύα uerò teretem & in longitudinem extensam.

Cucumis satiuus, Concombre.

Cucumis syluestris, uulgò Cucumis Asininus,

Anguineus: *cuius succus* Elaterium *dicitur.*

Cucumis,Græcè σίκυον *uel* σίκυς. *quanquam* σικύον *nomine multa genera* Græci *ueteres comprehēderunt, nempe quæ aut cartilagine aut cute foris obducta, in oleribus extra terrā crescunt: posteriores tamen* σίκυν, *id est cucumerem simpliciter dixerunt, quem nos priuatim modo cucumerem uocamus: adiecta autem peponis uoce, hunc quem nostra ætas priuatim peponem nominat,* σίκυν πέπονα *appellantes.*

Cuminum, Commin.

Cunila Græcè Thymbra, *est* Satureia, Sarriette.

Cynosorchis,Latinè testiculus canis, quod nomē uulgus retinet. dicitur & Serapias, à Serapi AEgyptio*rum* Deo, *propter magnam lasciuiam, qua is* Deus *Canopi colebatur.*

Cyphi, ferè respondet nostræ auiculæ Cypriæ, c'est quasi vng mesme perfun que l'oiselet de Cypre. *Hoc suffitu* AEgyptij *sua numina sibi placabant.* Eius *autem compositio est apud* Dioscoridem, Galenum, & Plutarchum, De Sacris Isidis & Osiridis.

D

Dacrydion, à recētioribus Græcis dicitur ea lacrhyma, quæ funditur à radice Scammoneæ, uulgò Diagrydion *corruptè dicitur.*

Dactyli, Dactes, & Figues royalles. *Symeon Sethi multa ex ueteribus Græcis de Dactylorum natura collegit: tu eum commentarium adito.* Nicander *in Alexipharmacis tradit palmæ fructum cum lacte sumptum mederi haustæ bupresti.*

Damasonium, Plinio Alisma, *ab alijs uulgò* Plantago aquatica, *ab alijs fistula pastoralis dicitur.*

Daphnoides, Laureola.

Daucus, uel Daucū neutro genere, Carottes, ou Panets sauuages: *quod intelligendū est de primo genere Dauci nobis frequētissimum, quod est folio fœniculi. Nam secundum apij, tertium uerò coriandri folium habet, omnia tamen Dauci genera sunt odorata.*

Dipsacus, uulgò Labrum Veneris, Virga pastoris, Chardon de bonnetier. *Dictus est autem Dipsacus,* παρὰ τὸ ἄκος τῆς δίψης, *id est, à remedio sitis. Nam in foliorum cauitatibus aquam habet, qua sitim sedat.*

Draba, aliàs uulgo uocatur Araba. *Apud quosdam herbarios dicitur Nasturtium Orientale, & Babylonium: apud alios Cuminum syluestre.*

Dracunculus, δρακοντία, *uulgò* Serpentaria. *Arum &* δρακόντιον *appellari existimat Theophrastus,* διὰ τὸ τὸν καυλὸν ἔχειν τὴν ποικιλίαν, *id est, propterea quòd eius caulis uarius est.*

Drupæ sunt bacæ oliuarū, maturitate nigrescentes, uoce à Græcis deducta, qui eas δρυπεπεῖς *appellant.*

Dryopteris in ueterum quercuum musco nascitur, uulgò Osmunda regalis, *uel potius* Filicula. *Nam pro polypodio legitur.*

Dios anthos, Coquelourdes.

E

Ebulus, Chamæacte, est humilis Sambucus. Hieble.

Echiū, herba est similis Anchusæ & Buglosso, adeò ut nonnulli uocent Buglossum syluestre, uulgò dicitur herba Hircina. *Deducitur à nomine* ἔχις, *id est, uipera, aduersus cuius letalē ictū (ut Nicander in Theriacis scribit) ualet. quo loco hæc plāta multis uerbis ab eo authore describitur. Plinius tamen sic dictum putat,*

quòd eius semina uiperinis capitibus simillima sint.

Elaphoboscum, Latinè Pabulum cerui. Quidã Galli uocant de la Falouze. Apud quosdam herbarios dicitur Gratia Dei. Dicitur & hæc planta Ophiocthonon, quòd ea cerui se arment aduersus serpentes.

Elatine, folijs helxines, nisi quòd sunt minutiora & scabriora: campestre Rapistrũ, Raue sauuage. Quidam putant esse Gramen Parnasium, sed falsò.

Elaterium, Vide Cucumis syluestris.

Elelisphacos, Saluia, quam ἐσθλόν, id est, medendi uiribus præstantem, uocat Nicander in Theriacas.

Elichryson, uel Heliochryson Dioscoridis, est Galeni & Pauli Amarantus luteus, qui in Officinis dicitur Stœchas citri: planta frequẽs est in Gallia Narbonẽsi. Dicitur autẽ Heliochryson, ꝙ ad solis repercussum, comantibus in orbẽ florũ folijs fulgorem auri præ se ferat.

Elleborus albus à flore & radice alba, Niger contrà: Latinè Veratrum, Verart, & Ellebore, Niger innocenter sumitur.

Empetrum, uel Epipetrum, ut Aëtius, folio est rorismarini, sed crassiore & latiore, nascens in rupibus & saxis ad mare, ut promontoriorum crepidines ferè hac herba uestiãtur: Persé pierre uulgò dicitur, ꝙ saxa penetrare uideatur. Ea herba in hortos iam translata est, expetitúrque in acetarijs, quòd sapore salso sit.

Ephemerum illud non ἀναντίῤῥητον, secundum Galenum est Iris syluestris, quod ab alijs putatur esse Hemerocalles, ab alijs Lilium conuallium, ab alijs Grand muguet dicitur.

Ephemerum aliud Colchicum, quo die sumptũ fuerit (ut nominis ipsa ratio ostẽdit) interimit. Colchicum

autem à Colchide solo natali dictum est, cuius antidota extant apud Nicandrum in Alexipharmacis.

Epimelis, est uera Mespilus nostra, ut ait Musa. Hippocrates γυναικείων α.i. primo de morbis mulierũ, fructum huius arboris ἀμαμηλίδα uocat, ut Galenus in glossis eiusdem exponit.

Epiroticis malis putantur respondere nostra Orbicularia poma, Pommes de capendu.

Epithymum secundum Dioscoridem & Graecos, est flos è Thymo duriore, & Satureiae simili. Secundum Arabas est Cuscuta thymo innata, & ueluti capillus quidam ruber circa herbas innascens, ut circa linum nascitur Cuscuta, quae dicitur Linobanche, quasi linum suffocans. Eadem nascitur circa Orobum, & dicitur Orobanche. Innascitur & Satureiae seu Thymbrae: & dicitur ab Actuario Epithymbrũ. Caeterum uox Epithymum significat aliquid in Thymo nascens.

Equisetum, Vide Hippuris.

Erica, ἐρείκη, Bruyere.

Eryngium uel (ut Plinius loquitur) Erynge, est ex genere aculeatorum, Graeci quidam ἑκατοντακέφαλον dixerunt, quod nomen uulgus retinuit, Centum capita eam plantam appellans, quòd infinita capita in stellas ducta habeat. Nicander in Theriacis Eryngiũ uenenis resistere affirmat.

Erysimũ Latinè Irio uel Trio (ut quaedã Plinij exẽplaria habent) uel Trionũ (ut Gaza uertit apud Theophrastũ) herba est quae à quibusdã herbarijs dicitur Sinapi syluestre. In locis quibusdã Galliae dicitur Tortella. Itali uocãt Erucã nobilẽ. frequẽs autẽ est in uallis urbis. Est & fruges, quã uulgus Blé Sarrasin appellat.

Eruca, εὔζωμος, Roquette. *εὔζωμος autem dicitur, quòd multa eius suauitas sit (ut* Plinius *ait) in condiendis opsonijs.*

Erithrodanum uulgò Rubia tinctorum. Garance. *Caza uertit* Rubiam.

Eruum, Græcè *Orobus,* Des ers. *Santones legumen quoddam appellant* Garrobe, *nomine (ut arbitror) ab* Orobo *deducto : sed id non omnino simile est* Orobo Dioscoridis. ὄροβος ἑφθὸς βοῦς λιπαίνει *(authore* Dioscoride*) id est,* Orobus *coctus boues saginat. quod innuisse* Virgilius *uidetur hoc uersu,*

Eheu quàm pingui macer est mihi taurus in eruo.

Euonymos siue Anonymos putatur ea arbor esse, quæ dicitur uulgò Fusaria, Du fusain, *quòd fusi ad nendum ex ea arbore comparentur. Coqui etiam ueruacula trãsfigendis lardo carnibus ex ea conficiunt. Eius siliquæ uulgò uocantur* Scrota sacerdotum. *Sunt qui eam arborem anagyrin esse contendant.*

Eupatorium, Agrimoine: *nomen habet (ut author est* Cicero*) ab* Eupatore *rege. Dicitur & Hepatorium & Hepatitis, quòd hepati præcipuè medeatur.*

Euphrosynum, Vide *Buglossum.*

F

Fagus, φηγὸς, Fouteau, ou Fayant. *Sunt qui uocant* Du hestre: *Eius glandes nucleis haud absimiles, cute triangula inclusæ, Gallicè dicuntur* Des fannes.

Far rutili coloris, fortasse illud est quod à Columella *Vermiculum dicitur. Vulgò* Frumentum rubrum *dicitur.* Blé de Poulle.

Far candidius, quod putatur esse Clusinum Columellæ, *rura nostra uocant* Blance; *Vtrunque uulgò*

uocatur Blé barbu.

Farrago, *mistura ex secali & tritico*, Mesture.

Ficus, Figuier.

Ficus AEgyptia, Idæa, Pelagica, & Alexandrina, *quia non uisuntur apud nos, ideo nomen eis inditum non est.* De Sycomoro *dicemus suo loco.*

Filix, Fougiere.

Filicula, Polypodium *quercinum præsertim.*

Fœniculum, Fenoil, μάραθρον.

Fœniculum *sylueſtre, in* Officinis, Fœniculum agreſte : & *quia satiuo longè maius est*, Hippomarathron *dicitur.*

Fœnum Græcum, Vide Buceros.

Fragum, Fraize. *Nescitur adhuc quo nomine arbor hunc fructum ferens* Græcis *dicta sit, nisi* Rubus Idæus *humilis sit.*

Fraxinus, Freſne, μελία Græcè : *hæc arbor apud* Homerum *celebratur, quòd materia sit maximè idonea conficiendis hastis.*

Frumẽtum, *quicquid aristas mittit, & per hyemem in herba est.*

Fumaria, Græcè καπνὸς, Fumeterre.

Fungi, μύκητες, Champignons. Fungi *autem omnes, præter* βωλίτας, *id est boletos, & quos* ἀμανίτας Pauli AEginetæ *ætas uocabat, damnantur à medicis.*

G

Galeopsis, *quæ uulgò* Herba cataria *pingitur, uidetur esse* Vrtica *mortua*, Labeo: *alij putant esse* Agripalmam: *In* Officinis *dicitur* Scrofularia maior, Ficaria, Millemorbia. *Nomen habet à* Mustelæ *aspectu.*

Galbanum, χαλβάνη, *succus est ferulæ nascentis in*

Syria: nomen retinet. Suo odore serpentes fugat, ut Nicander & Maro cecinerunt.

Galion, herba tenui radice, longa, rubente, caulibus gracilibus, floribus luteis, paruis, suaue olentibus, decussatis, ut sit similis Aparinæ, unde dicitur uulgò Aparine parua, Aspergula minor, uulgò etiam dicitur Florata. Sic nominatur, quòd (ut ait Dioscorides) in contrahendo lacte coaguli uicem habeat.

Gallicentrum Ruellij, uidetur esse Horminum Græcorum.

Genista, Genez, σπάρτιον.

Gentiana, Gentiane: nascitur plurima in quibusdã locis Galliæ. Sic autem nominata est à Gentio Illyriorũ rege. Dicitur & Aloë Gallica, ob radicem multũ amaram. frequens est in Alpibus ad montem D. Bernardi.

Geranij prima species uulgò dicitur Acus pastoris: secunda, Pes coruinus. Nomen habet ἀπὸ τοῦ γεράνου, id est, à grue. Nam gruini capitis similitudo in summo eius plantæ capitulo uidetur.

Gerontopogon, id est, Barba senis, uulgò Barba sacerdotis, uel Barba Dei.

Gethyum, Cepa non capitata, Ciboule.

Geum, siue Gethys, Mors a diable. In aliquibus locis Galliæ dicitur Salmonde: ac si Sanamundã dicas.

Gith, Græcè Melanthiũ, uulgò Nigella Romana, Nielle, Poiurette, à piperis sapore.

Gingidiũ, Cerefolium, Cerfueil, quasi χαιρέφυλλον, quòd folijs luxuriet.

Gladiolus, Græcè ξιφίον, Glayeul: folio est minore quàm Iris: Theophrastus ex eo nominatum putat, quòd eius folia ensem referant. Gaza apud Theophrastum

interdum pugionẽ uertit. Columella Gladiolum Narcissi, uocat narcissi folium, gladioli formam habens.

Glastum, Græcè Isatis, Guede, ou Pastel.

Glaux, ostenditur folio simili Glycyrrhizæ. uideretur uerò omnino esse planta ea, quæ uulgò Mala domius dicitur, nisi quòd Glaux est herba maritima.

Glycyrrhiza, Latinè Dulcis radix, Ragalisse.

Gnaphaliũ, uulgò Cottonaria: alij uolunt esse Herbam cruciatam. Dicitur autem Gnaphalium (authore Galeno) ex eo quòd ἀντὶ τῶν γναφάλων, id est, pro tormentis uti liceat. Nam eius folia multa lanugine obducta sunt. Officinæ uocant Centumoculum.

Gongylis, uel Gongyle, Latinè Rapum uel Rapa, Rabe: quæ in immẽsam crassitudinem in quibusdam locis crescit, ut rectè olim γογγυλίδας Lacædemonij γαστέρας (ut scribit Apollas apud Athenæum) uocarint.

Gramen, uulgò Dent de chien, quòd genicula radicis eius figura & albore caninum dentem referant. Vide Agrostis.

Gossipiũ & Xylon Plinij, Arbre portãt le Cotton.

H

Halicacabus, Vesicaria Halicacabus à Plinio, Alquequengi ab Arabibus dicitur, Galli Baguenaudes. Vide Solanum.

Halimus, Aureo Plin. quibusdam putatur ea arbuscula quæ in sepibus crescit, Blanche putain uulgus appellat: sed eos falli ex hoc conijcimus, quòd Halimus salso (ut Plinius ait) sapore sit, unde nomen inuenit.

Hastula regia, Vide Asphodelus.

Hebenus, Hebene.

Hedera, κισσὸς, Lierre, siue ea muris, siue arboribus

hæreat, siue humi nascatur.

Hedyosmos, uidetur esse ea Mentha hortensis, quæ caule est satis crasso: ea enim odoratissima est. Nam odor plãtæ (ut ait Plinius) fecit, ut eam herbam, quæ μίνθη prius dicebatur, ἡδύοσμον Græci uocarent.

Hedysarum, Securidaca, Cornuette. quibusdam dicitur Cepa marina.

Helenium, Enula campana. Nomen ex eo inuenit, quòd (ut ait Homerus) ex Helenes lachrymis in Helena insula nata sit, cuius radicem siquis comederit, omnium dolorum obliuiscitur.

Helxine, Celso Herba muralis dicitur, uulgò Parietaria, quòd muris adnascatur: dicitur etiam Vrceolaris, quòd urcei ea extergẽatur. Parietaire. Nicãder in Theriacis Parthenij primùm, mox Helxines facta mentione, utranque contra uenenata laudauit. Quidã affirmant nomen deduci ἀπὸ τοῦ ἕλκω, eò quòd asperitate sua, tenaci nexu uestes, quibus hæserit, ad se trahat: quanquam aliud uocis huius etymon scripsimus in uoce Cissampelos.

Helxine cissampelos, id est, Hedera uinealis, uulgò Volubilis vinealis.

Helioscopius, Species tithymali, folio portulacæ, nascens in ruderibus ac uineis, & comas suas cum sole circumagens.

Heliotropium præsertim maius, uulgò Herba cancri, quòd flores in caudæ cancri similitudinem inflectantur, putatur à quibusdam esse Cichorium agreste, cuius flores cærulei sunt. neque ea est herba, quam uulgò Soulcie dicimus. Nomen ex eo habet, quòd folia eius solem ab Ortu in Occasum sequantur. Celsus

ob id herbam solarem appellat.

Hemerocalles, *uulgò* Liliū syluestre, *uel* marinū.

Hemionitis, *uulgaris* Scolopendria: *Lingua autem ceruina uidetur esse magis* Phillitis. *Sic dicta est* Hemionitis, *quòd muli ea delectentur.*

Hesperis, *uulgò* Herba Gallica. *Sunt qui uocant* Giroflee: *quòd Caryophyllum oleat.*

Hyacinthus, Oignon de bois, ou Vaſſiet. *Hyacinthi duplices sunt, albi & cærulei, ut ex hoc carmine Columellæ colligere licet,*

Necnon uel niueos uel cæruleos hyacinthos. Sed *albi ita intelligendi sunt, ut pallescere incipiant cum adolescunt. Cærulei ab eodem Columella dicuntur, & hyacinthi cælestis numinis, id est cærulei, & Iridem numen cæleste colore referentes. Nicander in Theriacis scribit Hyacinthum puerū, quum Apollini colluderet, ab eo, disco ex imprudētia interfectum, atque ex pueri cruore, Apollinis commiseratione, herbā enatam esse. Alij dicunt hunc florē ex Aiacis sanguine natum, interpretanturque de eo Virgilianum illud,*

Dic quibus in terris nascantur nomina regum
Inscripti flores. *De hac re uide librum 13. Metamorphoseos Ouidij. Pausanias florem qui natus sit extincto Aiace apud Salamina, credi refert editum primùm nō hyacinthum, sed literis hyacintho similem uideri, ex candido rubentem, & lilio minorem.*

Hydropiper, Piper *aquaticum, planta est geniculata, flore spicato, in quo est semen* Piperi *simile: alijs uidetur Persicaria illa acris: alijs ea planta, quæ pro Eupatorio usurpatur.*

Hieracium præsertim maius, Eſpece de Cichoree

sauuage. *Quidam herbarij* Cichoreã *luteam aut croceam uocant. Nomen ex eo inuenit, quòd* ἱέρακες, *id est accipitres,* Gallicè Sacres, *succo huius herbæ (ut* Plinius *ait) oculorũ obscuritatem discutiant.* Apuleius *scribit aquilam se in altum alis tollentem, ut rerũ naturã certius contempletur, syluestrem lactucam euellere, eiúsque succo, oculo magnam claritatem comparare.*

Hieraciũ *minus, in quibusdã* Officinis *dicitur* Dens leonis: *in alijs* Barbuta, Taraxacon, & Altara.

Heptaphyllon, Tormentilla.

Hyoscyamus, Vide Alteram.

Hypericum, Millepertuis.

Hippoglosson, *putatur à* Ruellio Bonifacia *Italorũ. Quidam affirmant esse eandem plantam cum* Lauro Alexandrina. *In quibusdam locis* Galliæ *dicitur* Lingua pagana: *significat ad uerbum* Linguam equi.

Hippolapathum, La parelle, La patience. *In qua uoce,* ἵππο *auget, quasi dicas magnum* Lapathum: *ut etiam in sequenti dictione.*

Hippomarathrum, Magnum fœniculum syluestre, & Erraticum.

Holosthum, *uel (ut alij scribunt)* Holosteon, Molle gramen, *uel* Denticulus canis. *Nominata est hæc planta* κατ' ἀντίφρασιν, *quòd sit sine duritie.*

Horminum, Toute bonne, Horuala. *Planta autem hæc duplex est, satiua & agrestis.*

Hyssopus, Isope.

I

Iasminum, Iasmin: *ea herba nuper ex* Italia *aduecta est: ab* Actuario *autem* Zambacus *dicitur. unde oleum* Zambacium *dictum est.*

Ilex glandifera, quæ gerit glandem uulgari similem, sed multò efficaciorem glandibus quercus. Ea autem Ilex rara est in Gallia.

Ilex conifera, duplex est: alia Quisquilium dicta est, gerens coccum baphicum, id est, granum tinctoriũ, Escarlatte, quæ frequens est in Gallia Narbonẽsi. Alia dicitur Aquifolia, Gallicè Du houx. Sunt qui referunt φελλόδρυν, id est, subiferam arborem, ad ilicem.

Intybus uel intubus, uel σέρις est nomen cõmune quo Sariolas, Ambubaias, Cichoria, Endiuiã intelligimus. Virgilius per -amaris intuba fibris, intellexit, authore Hermolao, genus illud intubi, quod πικρὶς dicitur.

Inula, uide Helenium.

Iouis barba, Vide Aeizoon.

Iouis glans, putatur esse castanea, quæ à Galeno dicitur τὸ κάςανον.

Irio, Vide Erisimum.

Iris, Flambe: sic dicitur à multiplici colore qui spectatur in uno flore. Flambe autem Gallicè appellatur, quòd maximè excalefaciat.

Isatis (ut Cæsar ait) à Barbaris sua corpora ea herba tingentibus Glastum dicebatur. Vitruuius lib. 7. uidetur luteã uocasse. Antiquiores Græci & Latini inter syluestres Lactucas eam numerarunt. Plinius longissimè de ea egit cap. 7. lib. 20. Tinctores nũc habent crassiorem farinam Isatidis, quam uocant Guedam, & nobiliorem, quam pastellum appellant.

Isopyrum, est genus Phaseolorum, folio aniso similĩ, semine gustu referente Melanthium.

Iuglans nux, Noix commune. Dicitur nux Indica ab Actuario in Diasatyrio.

Iuncus, σχοῖνος, *quòd ex eo funes fiant: multiplex autem est, unus crassitudine & magnitudine insigni, fungosáque medulla, in aquis uiuens,* Holoschœnos, *Plinio* Mariscus *à magnitudine, ut ficus* Mariscæ, *dicitur. alius ex quo fiunt ellychnia quē* Scirpum *appellamus. Alius est* Melancranis, *id est, capitulum nigrum habens, gerens fructum racemorum cohærentium modo. Additur his* Oxyschœnos, *id est acutus iuncus, qui nihil aliud est quàm iuncus marinus.*

Iuniperus, Geneure, ἄρκευθος, *uel* ἀρκευθίς. *Gummi* Iuniperi. *ab* Hermolao Barbaro *dicitur* Vernigo: *Galli* Vernix *appellant, quod in usu multo est scriptoribus & pictoribus.*

L

Labrum Veneris, ἀφροδίτης λουτρὸν: *uide* Dipsacus. *Duplex est hæc planta*: Satiua, *qui est* le Chardon de bonnetier: Syluestris, *uulgò* Virga pastoris.

Lactuca satiua, Græcè θρίδαξ, *uel* θριδακίνη: *à recentioribus Græcis* μαρούλιον, Laictue. Theophrastus *Lactucarum tria genera scribit*, πλατύκαυλον, καὶ στρογγυλόκαυλον, καὶ τρίτον, τὸ λακωνικόν: *id est, unum lati caulis* (ὥς' ἐνίοις χρῆσθαι καὶ θύραις κηπουρικαῖς, *id est, adeò ut hortorū ostiola ex his fiant*) *alterum rotundi caulis: tertium* Laconicum. *Hæc herba est multum salubris, quod his uersibus* Columella *confirmat,*

Iámque salutari properet lactuca sapore,
Tristia quæ releuet longi fastidia morbi.

Ibicus *Pythagoræus apud* Athenæū *hanc plantam à* Pythagoræis ἄνουχον *uocatam scribit, quòd frigiditate sua homines* πρὸς τὰ ἀφροδίσια ἐκλύτους *efficeret. Cui nō dissimile est quod* Callimachus *apud eun-*

dem authorem de Venere scripsit, quæ Adonin mortuum lactucæ folio texit.

Lactuca sessilis, Capitata, Laconia, Laictue pōmee. Sunt aliæ Lactucarū tum à colore, tum à genere apud Columellam differentiæ, quas ex authore ipso petito.

Lactuca syluestris, sponte nascens, uulgò dicitur Taraxacum: alij, meo quidem iudicio rectè, pro syluestri Lactuca, eam herbam accipiūt, quæ Endiuia uera dicitur. Alij Chondryllam lactucæ syluestris etiam speciem eam uolunt esse, quam Gallicè Laicteron nominamus. Lactuca autē, authore Palladio, ex eo dicta est, quòd lacte, bono eo quidem, & ad multa utili, præsertim si ex syluestri eductum fuerit, abundet.

Ladanum nomen retinet in Officinis. Est autem is succus, quo capræ, dum Cistum fruticem depascuntur, barbas ac uillos imbuunt: unde postea homines depectunt, quod Ladanum dicitur.

Lampsana, Sanue. Hoc olere (ut Plinius ait) Cæsariani milites ad Dirrhachiū uixere, eíque in triumpho iocularibus carminibus exprobrauere.

Lanaria herba, Græcè Struthion, uulgò Herba fullonum: & in Officinis Saponaria. hac planta sic utebantur antiqui ad lanas œsypo repurgandas, ut quæ eo sudore repurgatæ non sint, à Græcis ἀστρούθιστοι dicantur.

Lappa maior, προσώπιον, Personata: quòd ex ea personæ fierēt in theatris, Glouteron, uulgò Bardana.

Lappa minor, Vide Arction. Habet ea herba echinos inhærentes uestibus. Des graterons.

Lapathi primum genus uidetur id esse, quod uulgò De la patience dicimus. Secundum genus est La-

pathum rotūdum *uulgò dictum, magnitudine mediū inter* Oxalidem *&* Hippolapathū. *& id uidetur esse* Rhabarbarū Cartusianorū. Tertiū *genus est* Oxalis Turonica, De l'Ozeille de Tours. *Quartum est uulgaris nostra* Oxalis, nostre Ozeille commune. Lapathū *autem dicitur* ἀπὸ τοῦ λαπάζειν, *id est, inanire & uacuare.* Omnium *siquidem generum* Lapathi *folijs decoctis aluus mollitur.* Rumex Latinè *dicitur quo nomine propriè nostra* Oxalis *appellanda est.*

Laser, *&* Laserpitiū, σίλφιον, Beniouin, *quod ex* Cyrenaica *prouincia olim præstantissimū aduehebatur, unde* Catullus Cyrenas *laserpiciferas appellauit.* Et Palladius *laser, opon* Cyrenaicū *uocat, quāquam* ὀποῦ *nomine laser* κατ' ἐξοχὴν *intelligimus.* Hodie è Taprobana *maris* Indici *insula omnium maxima (ut ait* Ludouicus Romanus *patricius) optimum conuehitur.*

Lathyris, *uulgò* Cataputia minor, Espurge. *Sunt qui putent esse* Tithymali *speciem, tum quòd similem ei succum habeat, tum quòd eodem modo purget.*

Lauer, Græcè Sion: Berle, Homerus *cū apio in aquis nasci canit,* Ἀμφὶ δὲ λειμῶνες μαλακοὶ σίου, ἠδὲ σελίνου.

Lens, *species leguminis, Græcis, quæ edendo est,* φακὸς ἐδιόμενος *dicitur,* Lentille.

Lens *palustris, etiā* Gallico *nomine* Lētille *dicitur.*

Leontopetalon, *uulgò* Patta leonis: Gallicè De la pommelee: Itali Papauerculum *uocant.*

Lentopodion Ruellio *putatur esse* Cruciata *nostra, alijs* Calendula: *frequens est in hortis. tritum autem olet sinapi, & illius ac piperis acrimoniam habet.*

Lepidium, *uulgus* Gallorum; Passe rage *uocat.* Paulus AEgineta Lepidium, Iberidem, *&* ἀγριοκάρδαμον

eandem plantam facit. Cæterũ Lepidium dictum est, quòd cuti impositum, tam ualidè exulceret, ut à cute, λεπίδες, id est, squamæ pellantur, quod Columella in carmine suo cecinit:

Deiectura quidem fronti data signa fucorum,
Vímque suam icirco profitetur nomine Graio.

Vtebatur eodẽ antiquitas, quod etiamnũ tota AEgyptus & Syria seruat ad adijciendum lacti acorem, conficiẽdúmque id quod Oxygala, Id est, lac acidum Græci uocant. lege Columellam lib. 13. cap. 8.

Leucacantha, species cardui, folia lactucæ habentis, maculis albis conspersa, appellatur uulgò Carduus beatæ Mariæ.

Leucoion Dioscoridis, est nostra Gariophillata, nostre Giroflee. Officinæ autem Mauritana uoce Kiri appellant: quanquam luteum tantùm hoc nomine appellandũ quibusdam placet. Leucoion Theophrasti Massario est, quod circa Natalem CHRISTI, etiam summis frigoribus floret passim in syluis, nunc etiam in hortis. Cæterum quanquam uox Leucoion albam uiolam tantùm significat, tamen hoc nomine omnes alij colores indicantur.

Libanotis, Rosmarin: sic dicitur quòd λιβανου, id est thuris, odorem habeat.

Ligusticum, quibusdam placet eam esse herbã, quæ uulgò De la leuesche dicitur, sed rectius dicimus Ligusticum ignorari. Nam Smyrnium nostræ Leueschiæ magis conuenit. λιγυστικὸν uel cũ Galeno λιβυστικὸν, Leonicenus & Musa uocant Radicem imperatoriam. nomen autem à Liguria inuenit, quæ ea planta sic olim abundabat, ut eius semine pro pipere uteretur.

Ligustrum, Du troesne. In *Hetruria nunc corruptè Luuistrum*.

Lilium, Lis, *Iunonia rosa*.

Liliastrum, *Lilium syluestre*, Hemerocalles, *uulgò* Lilium marinum.

Limonium, *Beta syluestris*, Bete de pré, & sauuage: *proximè accedit ad* Elleborum.

Linozostis, *uulgò* Mercurialis: M. *Cato hac herba in deijcienda aluo uti præcipit. Græci eam* ἑρμοῦ πόαν *ex eo appellasse creduntur, quòd numinis cuiusdam ui, fœmina tum trita, tum pota, aut post purgationes fœminarum genitalibus apposita, ut fœminæ concipiantur, faciat: mascula uerò contrà, mares.*

Linum, Lin.

Lysimachia, uulgò uocatur in quibusdā locis Corneola, *in alijs* Falsia aquatica. *in alijs locis* Galliæ *dicitur* Chasse bosse, *quòd multum efficax esse aduersus pestem credatur: frequens est in* Cenomanensi *agro*. In *aliquibus locis etiā dicitur* Saliciaria. *Appellatā autem à* Lysimacho *rege alij scribunt, alij uerò ex eo nomē inuenisse putant, quòd discordantibus iumētis, iugo ab antiquis imposita, eorū asperitatem coerceret.*

Lithospermon, uulgus herbariorum Milium solis. *Gallicè* Grenil, *uox ad uerbum significat* Lapidosum *semen*.

Lolium, Vide *AEra*.

Lonchitis, à uulgo herbariorum dicitur Lanceolata, *quod etiam Græcum nomen indicat.*

Lotus arbor, Alisier: *Itali uocant* Amarenum Pomgeranum. *huius fructus describitur ab* Homero *libro* 9. *Odyss.*

Lotus herba, putatur esse Trifolium minus quod nascitur in pratis. Describitur alia Lotus ab Athenæo libro 14. Dipnosophist.

Lupinus, θέρμος, Lupin, amarissimus est: ob id tristes Lupinos Virgilius appellat.

Lupus salictarius, Lupulus, Houbelon.

Lychnis satiua præsertim, Rosa Græca uel Græcula Plinij. à Gaza apud Theophrastum, Lucerna conuertitur. In quibusdam locis Galliæ appellatur Caryophyllata syluestris, Giroflee sauuage. Alia rura uocant Chandelle de nostre dame. Lychnidem autem ex eo argumento appellauerunt Græci, quo nautis in mari sæpe uisum piscem Lucernam ueteres Romani uocauerunt, ignea per os exerta lingua tranquillis noctibus relucentem. Nam noctibus hic flos fulgere uidetur, & ignis quodam fulgore uidentium oculos in se conuertit.

Lycopsin quibusdam placet esse Cynoglosson herbariorum. herba est ex Anchusarum genere, quanquam Plinius seorsum à reliquis anchusis de Lycopsi egit, quod antè & Nicander fecit.

Lygos, Latinè Vitex, Agnus castus, Gaza uertit Amerinam. Lygos autem ex eo dicitur, quòd maximè lenta & flexilis sit: quanquam nomen lygos Græcis commune est omnibus, quibus in opere rustico ad uincula utimur. Agnum autem appellarunt, quoniam in Thesmophorijs, Cereris sacro, quod Athenis à mulieribus fiebat, castitatem custodientes mulieres folijs eius cubitus sibi sternerent, expertæ, aut à peritioribus doctæ uiticem calore suo inflationes soluere, ideóque Veneris impetus facilè inhibere.

M

Malobathrum, *folium ſimpliciter olim à Græcis dictum eſt, ut ex Plutarchi commentario, quòd bruta ratione utuntur, colligere licet, à qua appellatione Malobathrinum unguẽtum, foliatum Martiali dictum eſt: nunc folium Indicum dicitur. Lingua uerò Mauritanorum* Tembul *dicitur.*

Malicorium, *Teſta mali granati.*

Malua, μαλάχη, uel μολόχη, quod nomen Columella in horto retinuit, Maulue. *Nomen autem à molliendo aluo habet, unde molles maluæ Martiali dicuntur. Hæc herba folia ad ſolem circumagit, unde Helioſtrophos ab Apuleio dicitur.*

Malua ſatiua, Roſe d'oultre mer: *δενδρομαλάχη, id eſt, arboreſcens malua, dici poteſt.*

Malus ſerotina, Pommier tardif.

Malus præcox, Pommier haſtif, *qualis eſt quæ Perſica Trecanica fert*, Peſches de Troye, & Auantpeſches.

Malus agreſtis, Pommier ſauuage.

Malus generoſa, Pommier franc.

Malus inſita, Pommier enté.

Malus bifera, Pommier de deux portees.

Malus Cydonia, vng Coignier.

Malus Armeniaca, vng Arbricotier.

Malus Perſica, vng Peſchier.

Malus Punica, vng Grenadier.

Malus Medica, vng Orangier.

Malus citrea, vng Citronnier.

Mandragoras, *Gallicè* Mandragore, Mandegloire. *Qui Mandragoram quotidie circunferunt Argytæ,*

iactántque tanto periculo effodi humana forma, ignaræ plebi eam ostendentes, ex uno à Pythagora nomine anthropomorphos ei indito, mẽdacij sui occasionem arripuerunt. Neque enim *uox illa aliud, quàm humanæ formæ plantam significat.* Nam *duas aut tres radices inuicem complicatas in modum crurum humanorum habet.* Accessit & Pythagoræ Columella, *qui in carmine suo ita cecinit:*

Quanuis semihominis uesano gramine fœta
Mandragoræ pariat flores, mœstámque cicutam.

Non *defuerunt illis etiam in iactanda, cum foditur* Mandragoras, *religione* Theophrastus *in* Græcis, Plinius *uerò in* Latinis, *quorum commentarios adito.*

Mandragoras, *mas, dicitur* μόριον*: fœmina,* θριδακίας*:* Hermolaus Barbarus *refert* Mala *insana*, Pommes d'amours, *ad* Mandragoram.

Marathrum, Fenoil.

Marrubium, πράσιον*: nomen retinet in* Officinis, *& apud uulgus. quanquam in locis quibusdam* Marrouche *appellatur.*

Marum à quibusdã putatur esse herba similis Origano *: quibusdam placet esse herbam, quæ uulgò* Mastic *dicitur.*

Meconium, *Papauer*, Pauot.

Melanthiũ, *Nigella* Romana, Vide Gith. Nielle, ou Poiurette, *à sapore piperis.* Nomen *habet à nigro flore, quum tamen cæruleũ habeat, semen uerò nigrum: unde rectius* μελανόσπερμον *diceretur.*

Melanthium syluestre, *Nigellastrum*, Githago, Des alesnes.

Mellissophyllon, De la melisse: *dicitur &* Citrago

quibusdam, quòd trita citri odorem referat.

Melilotos, Serta campanica Catonis, Sertula Campana Celsi & Plinij Melilotus.

Mentha, μίνθη: De la mente. Vide Hedyosmos. Dicitur & Balsamum.

Menthastrum est folijs lanuginosioribus, & simile est Sisymbrio, id est Menthæ aquaticæ.

Mespilus, secundum Dioscoridem, arbor est aculeata, ferens tricoccum fructum, qualis est quæ fructum Azarolum Neapolitanis dictum profert. Mespilus autem nostra est uera Epimelis Dioscoridis.

Myagrum, μελάμπυρος, De la Cameline. Blé frimé. Frequens est in Campania.

Myosotis descripta à Dioscoride longè differt ab Alsine nostra, quam uulgus Mourron & Coquille de prestre appellat. Nam quæ descriptio est Myosotidos apud Dioscoridem, Bipinellam nostram propemodum exprimit.

Myrica, Tamarix, Tamarin: Officinis, Tamariscus.

Myriophyllon, Millefoliũ. Hetruria hoc nomine appellat herbam in pratis tenuẽ, à lateribus capillaméti modo foliosam, eximij usus ad uulnera. Boũ enim neruos uomere abscissos ea herba, addita axungia, solidari affirmant. Millefueille. Aliud est Millefolium Græcis χιλιόφυλλον inter Sideritidas. Est & στρατιώτης χιλιόφυλλος, quẽ docti quidam Cuminum syluestre, quòd eius folia Cumini folijs similia sint, esse putant.

Myrtidanum alijs dicitur Soboles adnata trunco myrti, quæ alio nomine dicitur μυρτίς. alijs significat fila quæ inuoluunt Myrtum.

Myrtus, μυρσίνη, uel μυῤῥίνη, Meurte. Murta Catoni

& Myrta Varroni, sunt bacæ Myrti, Græcè μύρτα, Officinæ Myrtilla uocant.

Myrrhis, secundum Manardum, est nostrum Cerfolium, sed id nõ est uerisimile. Plinius facit speciem Geranij: alijs placet esse Pedem columbinum. Officinis dicitur Cicutaria: uulgus Gallicũ uocat Persil d'asne. Nomen ex eo habet, quòd tota Myrrham oleat.

Morus, μορέα, Meurier.

Moschocaryon, Noix muscade.

Muscus arborum, Vide Bryon.

N

Napus, βουνιὰς, Nauet.

Narcissus qui hîc ostenditur, à Plinio refertur ad Liliũ. Visus est hîc Narcissus uiolaceo flore, qui uerus Narcissus Theophrasti putatur esse. Quidam etiã Petilium florẽ ad narcissum referunt. Narcissus autem, authore Plinio, nõ à fabuloso puero, sed à torpore, qui Græcè νάρκη dicitur, appellatus est. Dolores enim capitis & grauitates suo odore efficit. Quod ipsum Plutarchus scribit Sympos. 3. ob id Sophocles deorũ subterraneorum coronamentum facit.

Nardus Indica, Aspic d'oultre mer: quanquam hæc simpliciter Nardus interdum dicitur. appellant quidam & Nardi spicam, uel uno nomine ναρδόσταχυν, quòd sit admodũ humilis, & nihil nisi spica cum radice. Quæ hîc ostenditur in Officinis, nihil aliud est, quàm inanis quædam festuca.

Nardus Celtica, Aspic, Lauande.

Nasturtium, κάρδαμον, Cresson alenois. Nasturtium, authore Plinio & Varrone, dicitur à torquendis naribus: κάρδαμον autem ἀπὸ τῆς καρδίας, quòd mul-

tùm ualeat in syncope cardiaca, uel quasi καρήδαμον, quòd ui sua & acrimonia caput tentet.

Nepeta, L'herbe au chat. Vide Calamintha.

Nymphæa, Cacabus Veneris, & Papauer palustre Plinij: Nenuphar uerò Arabũ. nascitur in stagnis & paludibus gerens semen in calyce simili lucernæ æreæ. Creditur sic quondam dicta fuisse, quòd aquosa amet loca.

Nux auellana, Corylus, vng Couldre.

Nux iuglans, vng Noyer.

Nux Græca, Amandier.

O

Ocymum, recentioribus Græcis βασιλικὸν, quod nomen retinuimus, Baselic eam herbam uocantes. Sic autem quibusdam dicitur à nascendi celeritate: siquidem tertio à satu die emicat. Quod tamẽ uerius Ocymo pabuli & farraginis generi, Dragee aux cheuaulx uulgò uocato conuenire uidetur. proinde sunt qui Columellam sequentes Ozimum scribunt, ἀπὸ τοῦ ὄζω, quod redolere significat, quoniam herba tota suauissimum spirat odorem, à quo basilica utique & regia domo dignum Basilicum appellatur.

Ocymastrum, Ocymoeides, uulgò Potularia, Iasia alba, Baselic sauuage.

OEnãthe in Officinis dicitur Filipẽdula, & Saxifraga rubea. dicta est OEnanthe, quòd cũ uino floreat.

Alia est OEnanthe, Flos uitis syluestris.

Olea, Oliuier.

Olusatrum, Vide Hipposelinum.

Onobrychis nomen retinet. significat ad uerbum Asini delicium.

Ononis, Vide *Anonis*.

Onosma est ea Anchusæ species, quæ est sine folijs & caule, & cuius radix rubet.

Ophioscorodon est Allium syluestre, ut quod ostenditur ex uitibus & pratis. Ad uerbum significat Anguinum allium: in quibusdam Officinis dicitur Vrsinum allium. *Lege Scorodon.*

Orchis, Vide *Satyrium*.

Origanum, Mariolaine d'Angleterre, *alij* Mariolaine bastarde. *Sunt qui Satureiam semper uirentem referunt ad Origanum. Plinius uocat Cunilam capitatam.*

Orbiculata mala Varronis uidentur esse nostra poma Capenduta.

Oryza, Ris.

Ornus nomen Gallicum non habet: à quibusdam dicitur Fresne champestre.

Orobanche Erui angina à rusticis dicitur, Tigne. *Quidam Cuscutam uocant, uide Epithymum.*

Orobus, Eruum, Des ers *in Gallia Narbonensi. Vide Eruum.*

Osyris, uulgò Linaria maior & minor.

Othōna, uidetur esse Memintha *Pharmacopolarū.*

Oxalis, Vide *Lapathum*.

Oxyacantha, uel Oxyacāthus, ut Theophrastus in Officinis Berberis: *& uulgò*, Espine vinette. *ad uerbum significat Acutam spinam. Frutex* Ribes *Arabibus dictus, & Gallico sermone* Grozelier rouge *appellatus, huic est congener.*

Oxytriphyllon, uulgò dicitur Panis cuculi: *in Officinis* Acetosum triphyllon, & Alleluya *dicitur.*

P

Paliurus putatur à Ruellio Aulbespine, sed falsò. Nam translatus est huc ex Italia Paliurus acutis adeò spinis, ut uerum esse comperiamus quod de eo à Virgilio & Columella scriptum est. hic frutex in Narbonensi Gallia dicitur Aruagas.

Palma, Palme, φοῖνιξ, quæ uox Græca arborem & fructum, quem Suetonius in Claudio Palmulam uocat, significat. nomen autem habet à colore pomi: φοινικοῦν enim & φοινίζεσθαι, puniceo colore rubere est. de Dactylis uide suo loco.

Panaces, ad uerbũ significat ualens aduersus omnes morbos: quod nomen, quanquã cõmune est Centaurio, Ligustico, Tithymallo, Origano, tamen propriè tribuitur Panaci. Non est uerisimile, plantã quam Gallicè Panez dicimus, esse Panaces: tamẽ Panaces Asclepium magnam habet similitudinem cum nostris Panacibus.

Panaces Chironiũ ab Apuleio dicitur, Enula cãpana.

Panicũ, Du panic, ὁ ἔλυμος, uel ὁ μελίνος. Theop. Latini ei nomẽ à paniculis, in quibus semẽ est, indiderũt.

Papauer satiuum, μήκων ἥμερος, Du pauot. Ferũt Cererem non ad cibũ, sed ad leuandum somno pro amissa filia dolorẽ, papauere usam fuisse, & in luctus fortunæque suæ memoriam mortalibus id ostendisse. quod frugis maleficium sensit Virgilius, ita canens,
Vrunt lethæo perfusa papauera somno.

Papauer erraticum, μήκων ῥοιάς. Rura uocant Coquelicoz, ou Ponceau. Papauer rhœas à Græcis dicitur, quòd flos uel lenissima aura agitatus fluat.

Papauer corniculatum, μήκων κερατῖτις, nomen retinet in Officinis.

Papauer spumeum μήκων ἀφρώδης, uidetur esse humillimum genus papaueris. Spumeum autem dicitur, authore Galeno, quòd totum album sit, & spumeum.

Pardalianches, in quibusdã Officinis dicitur Vua inuersa & Vulpina: alijs uidetur uulgò dicta Luparia. uide Lycoctonum.

Parietaria, vide Helxine.

Paronychia putatur esse quibusdam ea, quam Itali à folijs noctu lucentibus, Lunariam appellant.

Parthenium est ambiguum apud Græcos: aliquando enim, ut placet Hieronymo Trago, est Anthemis, Camomille: aliquando Mercurialis: aliquando Parietaria, ut Celso & Gazæ, qui muralem Parthenion interpretãtur: quibusdam placet esse Matricariã, Espargoutte: alijs dicitur Cotula fœtida. hîc accipimus Parthenium pro Matricaria & Espargoutte.

Pastinaca hortensis, σταφυλῖνος κηπαῖος, Carrotte.

Pastinaca syluestris, σταφυλῖνος ἄγριος, nihil aliud est, quàm Daucus, Pastenade. Cæterũ obseruandũ σταφυλῖνον uel ἀσταφυλῖνον simpliciter, Græcis significare satiuam Pastinacam, quomodo Columella cecinit:
Lætetur, mollémque sinum staphylinus inumbret.
Syluestrem autem significant adiectione nominis ἄγριος, uel nomine δαύκου exprimunt.

Pẽtaphyllon putatur Laoniceno, Manardo, & Ruellio ea planta, quæ nunc à nobis Tormentilla dicitur, cui Pentaphylli descriptio conuenit.

Pæonia, Piuoine, Rose nostre dame. Multùm ualet mas præsertim, aduersus Epilepsiam.

Peplos, uulgò Reueille matin des vignes. In quibusdam Officinis dicitur Esula rotunda.

Pepo est uox communis, qua intelliguntur fructus qui maturitate sua mites sunt, & amissa soliditate sua flaccescunt & tenerescunt, à uerbo πεπαίνεσθαι, *id est, maturescere: tamen propriè est quem uocamus* Pepon *&* Surpepon. *Sunt &* Melopepones *à mali rotunditate, Columellæ dicti, quos* Melones *&* Sucrinos *uulgò uocamus.*

Periclimenum, uulgò Caprifolium, Matrisylua, *&* Vinciboscum, Volucrum maius.

Personata, Vide *Lappa.*

Petasites à Petaso *dicitur, quòd eius folio caput operiri nõ secus ac galero possit.* Nomẽ *retinet in* Officinis.

Petilius flos potest esse nostrum Oeuillet d'Inde.

Peucedanũ, uulgò Fœniculum porcinũ. *Appellatum est autẽ à* Pinu, *quæ Græcis* πεύκη *dicitur, cui folio par est, unde Latini posteriores* Pinastellũ *uocauerũt.*

Phacæ, Vide *Lenticula.*

Phalangium à nobis ignoratur, nisi sit herbula, quæ passim ostenditur albo flore, folio Alsines, sed lanuginoso. Nomen ex eo inuenit, quòd Phalangiorum morsibus medeatur.

Phasiolus, Vide *Similax.*

Phœnicobalanus, Dactylus maturatus in sole: nam nomine βαλάνου, *id est, glandis Græci palmæ fructum etiam comprehendunt.*

Philanthropos, uide Aparine.

Phillitis alijs uocatur Rumex muralis, alijs Osmunda: uerisimilius est esse Linguam ceruinam.

Phu, Valeriana maior.

Picea, πεύκη, Pin communeement moindre que le Pin qui croist par les iardins. *Vulgò* Pinasse.

Phlomus, Verbaſcū, in Officinis Tapſus barbatus. *Sunt qui Candelam regis, Candelariā, Lanariámque nominent. uulgus Gallicum appellat* Bouillon blanc. *Græci ex eo ei nomen indiderunt, quòd ea planta pro Ellychnijs uti poſſimus: nam caules pingui aliquo illiti pro lucernis nobis eſſe poſſunt.*

Phlomis, Lychnis, Thryallis, uulgò Cādelaria, *quòd ex ea fiant ellychnia.*

Pinus, πίτυς, Pin.

Pityides ſunt nuclei qui ſunt in nucibus pini, & piceæ arboris.

Pinaſter, στρόβιλος, πεύκη, Pin ſauuage.

Piper, πέπερι, Poyure.

Piperitis alijs Piper Indicum dicitur: alijs Cardamomi genus putatur.

Pyrethrum, uulgò Pes Alexandrinus. *Nomen ab ignea & cauſtica ui habet, quia manſu ſaliuam potētius, quàm pro caloris modo elicit, unde Saliuaris quoque Latinis dicitur.*

Pirus, Poirier, ἄπιος: *fructus*, ἄπιον, ὄγχνη, *uel* ὄχνη: *quæ duo uocabula poſtrema ſignificant potius ſylueſtre pirum*, παρὰ τὸ ἄγχειν, *à ſtrangulando.*

Non habemus nomina Ceritijs, Calculoſis, Lolianis, Laurinijs, Mileſijs, Myrteis, Orbiculatis, & alijs innumeris quæ apud Columellam ſunt, reſpondentia pira: ſed coacti ſumus nomina à figura, ſapore, & interdum à loco fingere, Bonchreſtiana, Mariana, Muſcata, Bicipitia, Turbinatiora, Martiniana, Finora, Bergamotia, Strangulanea.

Piromela, Pommes poires.

Piſtacia à Pharmacopolis uocantur Phiſtici. Nican-

der in Theriacis *uocat* P*ſittacia* , *quæ aduerſus ſerpentes ualere dicit*.Viſitur Piſtacium *in hortis* D.Cardinalis Bellaij.

Pityuſa Actuarij *uidetur eſſe* Turbith,*uel* Turpetum Meſuæ.Turbith *autem* Serapionis & Meſuæ *uidetur* Tripoliũ Dioſcoridis.Turbith *uerò illud,quod eſt in* Officinis Pharmacopolarum,*uidetur eſſe radix* Tithymalli *myrtitæ*.

Plantago,ἀρνόγλωσσον,*Lingua agni*,Plantain.

Plantago *minor,uulgò* Lãceolata,Arnogloſſum Officinarum *eſt plantago ea , quæ habet folia rotundiora & hirſutiora*.

Platanus,Vng plat,De la plane.*Sic appellata uidetur à foliorum latitudine*.Viſitur *nunc pulcherrima* Platanus *prope ædem* D.Hilarij *apud* Pictauos.*Summa huius arboris olim commendatio fuit,ſolem æſtatibus arcere,per hyemes admittere*.

Polemonia,*uel* Polemonium,*à quibuſdam putatur eſſe* Ambroſia *uulgaris,id eſt* Saluia *ſylueſtris*, Saulge de bois.I*n quibuſdam* Officinis *dicitur*,Behen album. H*æc herba cognita eſt* Cenomanis,*peſtifugam eam putantibus*.Q*uibuſdam placet dictam eſſe hanc herbã à certamine,quod reges de eius inuentione inierunt:alijs ex eo,quòd pugnet aduerſus uenena*.

Polygonon *fœmina creſcit in aquis, folijs eſt pini, & geniculis caudæ equinæ*.

Polygonatum *mas,uulgò* Sigillum Salomonis.No*men ex eo habet, quòd radix frequentibus geniculorum nodis tumeat*. I*nueniuntur duo genera,alterum folijs latioribus,alterum multò anguſtioribus*.Itali *uocant* Fraxinellam.

Polygonon mas, Sanguinaria: In *Officinis* Centinodia *&* Corrigiola *appellatur. Dicitur & hîc* herba Sancti Innocẽtis: *appellata autem ita est à multis geniculis, quibus nodosa est.*

Polypodium, folium habet Filicis. Dicitur autem Polypodium, quòd in radice multos cirros polypodum modo habeat.

Polium à canitie dictum est. Herbula *enim est in summo canitiem quandam habens. Vocabatur autem à Romanis, authore Scribonio Largo, Tinearia. Nam, ut ait Theophrastus,* πρὸς σῆπας τὰς ἐν τοῖς ἱματίοις ἀγαθόν: *id est, bonum est aduersus tineas quæ in uestibus sunt. amarum enim usqueadeò est, ut cum Græci scriptores maioris amaritudinis indicatione aliqua uti uellent, à Polio exemplũ sumerent, sempérque id* βαρύοσμον, *id est, grauiter olens appellarent. Nicander in Theriacis aduersus uenenata laudat. Affertur nunc è Gallia Narbonensi Polium, canos hominis in summo pendentes, præsenti quadam imagine ostendens.*

Polytrichon est Adianti ea species, quæ similis Filici folia lenticulæ habet. Nomen retinet quod ex eo inditum est ei, quòd capillos multos & densos faciat, eorúmque defluuia expleat. Vide Adiantum.

Pomus, Pommier.

Poma Serica, siue Sirica Columellæ, & Galeni Zizipha, in Gallia Narbonẽsi Guindola *uocantur, Pharmacopolæ* Iuiubas *uocant.*

Poma petisia, possunt esse nostra poma Paradisiana.

Poma purpurea Columellæ, possunt esse nostra poma De rouueau.

pomorũ gñ̃a Poma illa Mãliana, Mariana, Claudiana, Melap-

pia, Appiana, Picena, Tiburtina, Amerina, Corinthiaca *uix ſibi nunc reſpondentia nomina habent.*

Poma noſtra ſunt Capenduta, Ratelliana, Renetia, Paſſipoma, Paradiſiana, Franlzetura, *& ſimulia.*

Populus duplex: alba quæ Græcè λευκὴ *dicitur: nigra quæ* ἄιγυρος, *ut* Dioſcorid. *uel* ἄιγειρος, *ut* Galen. *de qua iam dictũ eſt in dictione* Aegirus. *utraque* Gallico *nomine dicitur* Peuplier. *Sunt qui & Tremulam dictam arborẽ, id eſt* Tremble, *ſpeciẽ populi eſſe uelint.* Ex *populo alba fluit, ut quibuſdã placet, lachryma,* ἤλεκτρον *Græcis dicta, Latinis* Succinum, *Gallis* Ambra.

Portulaca, ἀνδράχνη, Pourpié, *quaſi dicas* Poullepied. *Nam ſerenus hanc plantam* Pulli *pedem appellat, quòd ea præſertim quæ in uineis naſcitur, figura pedem pulli gallinacei referat.* Vide *Andrachne.*

Poterium, ut deſcriptum eſt à Dioſcoride, *uidetur eſſe* noſtre Grozelier.

Praſſium, Vide *Marrubium.*

Prunus, Prunier, κοκκυμηλέα: *fructus,* Prunũ, κοκκύμηλον. *Nicander apud* Athenæum *appellat* μῆλον κόκκυγος. *Quidam* κοκκύμηλα *per barbara lexin dicta putant, quaſi coquimala, propterea quòd uis præcipua deijciendi eis inſit.*

Prunus ſylueſtris, Vng prunelier. *Hanc arborem* Virgilius *ſpinum uocaſſe uidetur,*

-ſpinos iam pruna ferentes. *quam arborem in Aſia* προύμνον *uocatam Galenus ſcribit.*

Pruna hordeacia antiquorũ eſſe poſſunt quæ nunc cerea dicimus.

Pruna Aſinina nunc dicuntur, Des poitrons, ou Des daueſnes.

Pruna Armeniaca, Arbricos.

Pruna Damascena, Prunes de Damas.

Prunorum aliud est genus minus, quod Græci recentiores Myxon *&* Myxarion *dixerunt* ἀπὸ τῆς μύξης, *à muco & lentore, qui multus inhæret his prunis. uulgus* Pharmacopolarũ *nunc* Sebestas. *Cæterum hi acini* Sebasti *ab* Augusti *honore appellabantur in* Syria, *ut* Hermolaus *scribit.*

Pruna Iberica *possunt esse quæ* Pertigona *uulgò dicimus. Sunt alia nomina Prunorum uulgariũ, Prunidactyla*, Noberdiana, *&* Iuliana.

Psyllion, Latinè Pulicaris herba, quòd eius semen puliciũ simile sit, uulgus uocat, Herbes a pulces.

Ptarmice, Latinè Sternutamentaria: à quibusdã putatur Pyrethrum syluestre: alij contrà omnes notas reclamare affirmant. Ea herba sic dicta est, quòd eius folia trita sternutamenta moueant.

Pulegium, γλήχων, Pouliot. *huius herbæ cibus quotidianus in usu sanitatis olim erat, ut ex* Aristophane *conijcere licet. Cicero pro suauitate sermonis* μεταφορικῶς *hac uoce utitur. Cæterum id nomen ei inditum est, quòd excitet oues ad balandum:* γληχᾶν *enim balare est.*

Punica malus, ῥοά, Grenadier.

Punicum malum, ῥοιά, Grenade.

Q

Quercus, δρῦς, Vng chesne. *Existimatur etiam ueteribus dicta* Hemeris, *id est placida. Glandes autem producit, gallas item & uiscum, quod Galli* Du guy *appellant, Græcis autem* ἰξὸς *dicitur.*

Quercula χαμαίδρυς, petit chesne, Germandree.

Quinquefolium, in Officinis Pentaphyllon, quod non est aliud, quàm Tormentilla nostra. Hoc nomine censetur & planta ea, quæ septem folia habet, ut placet Ruellio, Leoniceno, & Manardo. Galenus lib. 5. Compos. Medicament. par. Eupatorium etiam quinquefolia habere scribit.

R

Raphanis Dioscoridis, & Raphanus Galeni eandē plantam significant, quam Celsus Radiculam dicit, & uulgus gallicum Raue appellat. Nomen autem à citò apparendo habet: nam tertio à satu die apparet. Cæterū ῥάφανος apud antiquiores Græcos pro Brassica etiam accipiebatur.

Raphanis agrestis sapore est acriore, folio latissimo, & siliquas non habet.

Radix dulcis, Glycyrrhiza, Ragalisse: Theophrastus lib. 9. de hist. plantar. eam radicem Scythicam uocat, quo loco eam ἄδιψον dici scribit, non tam quòd sitim arceat, quàm quòd Scythæ ea, & Hippacę decem & aliquando duodecim diebus sine alio cibo durarent. Veteres uocabant Argalicum, unde in quibusdam locis nomē Gallicum mansit, Argalice. Galenus lib. 7. Medicamēt. part. γλυκεῖαν simpliciter appellat. Actuarius interdum γλυκίῤῥιζον.

Rhaponticum, uel Rheuponticum, Radix Pontica à Celso dicitur. Galenus lib. 7. Cōpos. Medicament. part. uocat ῥέον πόντικόν. Actuarius nunc ῥέον ποντικὸν, nunc ῥέον βαρβαρικὸν, nunc ῥέον ἰνδικὸν appellat.

Radicula, Struthion, uulgò herba fullonum, Saponaria. fuit olim ita nota, ut non describatur à Dioscoride. Marcellus Struthion putat dici à folijs, qui-

bus imitatur passeres & minores alias aues. Vide *Lanaria.*

Ranunculi (βατράχιον *Græci dicunt*) *multa illa genera nomen apud uulgus non habent, nisi quòd primum genus hîc à uulgo* Des baſſins *dicitur. Secundũ genus est herba Sardoa à Salluſtio dicta, & in Officinis* Apium riſus, *de quo uide Apium. Tertium* ἀνδύσμον, *& flore aureo, naſcens in ſyluis, apud uulgus nomen non habet. Quartum genus flore lacteo, etiam Officinis est incognitum. Quintum hortenſe ob pulchritudinem in coronamenta ueniens, à quibuſdam Gallis* Bacilles doubles *dicitur. Est & genus aliquod Batrachij globoſæ rotunditatis, & gustus omnium acerrimi, quod quidam Lanceolam uocant. Vide Batrachium.*

Rapum, Rabe: *uide Gongylis. Græci huic radici à rotunditate nomen indiderunt:* γόγγυλον *enim* στρόγγυλον *significat.*

Rapum ſylueſtre putatur Ruellio, quod uulgò Reſponſes *appellamus.*

Rhus, ῥοῦς, *alius* μαγειρικὸς, *id est, culinarius à Galeno dicitur, quòd multùm ad condienda opſonia ualeat. Nam eius ſuccus etiamnum in Narbonenſi Gallia uicæ omphacij est. Alius appellatur* βυρσοδεψικὸς, *quòd denſandis corijs propter magnam uim adstringendi aptiſſimus ſit. Vterque* Sumach *ab Arabibus dicitur.*

Ricinus, κίκι, *uel* κρότων: *à uulgo Gallorum* Palma Christi *dicitur, in Officinis* Kerua, Manus Christi, Cataputia maior: *Cæterũ ex eo* κρότων *dicitur, quòd eius ſemen Ricino (quem Græci* κρότωνα *dicunt) ſimi-*

le ſit. *Oleum ex ſemine elicitur,quod* κίκινον *Græcè*, *Latinè Ricininum dicitur: Officinæ uerò* Oleum de Kerua *uocant*.

Rhododendron, Nerium,& (ut Plinio placet)Rhododaphne:Officinis & barbaris Oleander:*uulgò* Rosago,*quòd florem roſæ ſimilem habeat*.

Roſmarinus,Romarin.*Eius ſemen dicitur Cachrys*.

Rubus,Rõce,βάτος,*cuius hæ ſunt ſpecies:Cynoſbatos,id eſt,Rubus caninus Palladij:ſic dictus,quòd eius flores canum rabie percitorum morſibus medeantur, unde nomen accepit:eſt autẽ ſpinis hamatis,& altus: fructum fert longum, rubrũ,ſimilem oliuæ nucleo:intus uerò lanuginoſa habet ſemina:Sentis Latinè dicitur,& Sẽtis canis à Columella*, Eſglãtier ſans odeur *à Gallis appellatur,quòd eius roſæ ſine odore ſint*.

Rubus humilis, Chamæbatus,interdum βάτος *ſimpliciter à Galeno dictus:fert mora racematim naſcentia,per maturitatem nigerrima:* βάτινα *Galeno dicta, Latinis autem Vaticana*.

Rubus Idæus,domeſticus præſertim:Framboiſier. *Syluestris uerò fert parua mora, melle aërio ueſtita, quod non colligunt mora Chamæbathi:ex his moris fit diamoron.Eſt & Cynoſrodos,id eſt,Roſa canina nunc alba,nunc purpurea,& odora:Gallicè* Eſglantier de bon odeur *appellatur . & Roſæ Damaſcenæ dicuntur*,Roſes de Damas.*Rubus ille humillimus ferens fraga ad Rubum Idæum à quibuſdam refertur*.

Rumex,uide Lapathum.

Ruſcus, μυρσίνη ἀγρία, *uel(ut Theophraſtus)* κεντρομυρρίνη, *id eſt, ſylueſtris & cuſpidata myrtus, quæ quibuſdam dicitur Oxymyrſine: ex qua facimus ſco-*

pas illas, Houssouers uulgò dictas. Scribonius Largus uocat hanc Scopam regiam.

Ruta, πήγανον, uel (ut Theocritus) ῥύτη, Rue. Plutarchus lib. 3. Symposij sui scribit πήγανον ἀπὸ τῆς δυνάμεως ὠνομάσθαι· πήγνυσι γὰρ ξηρότητι διὰ θερμότητα τὸ σπέρμα, καὶ ὅλως πολέμιόν ἐστι ταῖς κυούσαις. id est, Peganum à uiribus nominatum est. Concretum enim siccitate propter calorem semē efficit, atque omnino uterum gerentibus aduersatur.

S

Sabina, βράθυ, Sauiniere. Nomen Sabinæ à regione in qua multa est, habet.

Sambucus, uide Acte.

Sagapenum à Pharmacopolis dicitur Serapinum. Galenus in Antidotis ὀπὸν σαγαπηνὸν uocat. Frutex ferulaceus, ex quo is succus fluit, describitur à Galeno lib. 8. Simplicium.

Salix, ἰτέα, du Saulx.

Saluia, ἐλελίσφακος, Saulge. Nicander in Theriacis Saluiam ὀξυθήεντα, id est, medicam appellat.

Sampsucus, Maiorana, Mariolaine.

Sanguinaria, uide Polygonum.

Satyrium, uide Cynosorchis.

Satureia, θύμβρα, Cunila, Latinè. Sarriette.

Scabiosa, non est Stœbe antiquorū: sed quidam uolunt Scabiosam esse Psorā Aëtij. Sed eos falli ex eo cōijcere licet, quòd huius fumo arborū erucæ non moriantur: quam tamen facultatem Psoræ Aëtius tribuit.

Scammonia, uide Dacrydion. Cæterū Scammonia uidetur dicta ἀπὸ τοῦ σκάπτειν, id est, à fodienda & cauanda radice. Nam (ut ait Dioscorides) liquor colligitur

desecto radicis capite, tum in profundo tholi modo excauata radice, ut liquor in cauum confluat, qui deinde conchulis excipitur. Cicero dicit etiam Scammonea.

Scandix, herba ea est, quæ toties Athenis *in theatro plausum & risum excitauit, cum in* Comœdia *lepidissimi poëtæ,* Dicæopolis *ex agro in urbem profectus rudis homo, ab* Euripide *eam peteret,* σκάνδικά μοι δὸς μητρόθεν δεδεγμένος. *Nouerãt enim omnes uulgare illud olus, meminerántque matrem poëtæ illius quotidie in urbem uenientem, uendito eo olere, filium in summa paupertate theatro & spectaculo educasse. Nec antiquæ hominis paupertati illudebant, sed uirtutẽ in angustissima re admirantes exultabant. Nunc à uulgo* Acicula, & Pecten Veneris *dicitur.*

Scilla, uulgò Scipoulle, ou Charpentaire, & Oignon marin. *Pharmacopolæ* Squillam *uocant.*

Scolymos Carduus, Artichault. *Paulus* Aegineta *tamen &* Aëtius *scribunt* Cinaram *esse carduum domesticum:* Scolymon *uerò agrestem.*

Scordion, Latinè Trixago, *seu* Chamædrys *palustris, uulgò dicitur* Chamara. *Herbula est uirgulas mittens quadratas, rectas, oblongas, folia adstringentia, florem suppurpurascentem.* Scordium *dictum est ab odore & acrimonia* Scorodi, *id est* Allij.

Scorodon, Allium, Aulx. *Syluestre* Allium *dicitur* ὀφιοσκόροδον: *quanquam (ut rectè coniecisse* Marcellus *uidetur) legẽdum est apud* Dioscoridem ἀφροσκόροδον, *non* ὀφιοσκόροδον. *Quod ipsum confirmant* Columellæ *uerba dicẽtis,* Vlpicum, *quod quidam allium punicum uocant,* Græci *autem* ἀφροσκόροδον *appellant, longè maioris est incrementi, quàm allium.* Plinius *conuer-*

tens uerba illa Theophrasti *de allio* Cyprio, ποιεῖ τὸν ὄγκον ἐκπνευματούμενον, *dicit* Allio Cyprio *in oleo & aceto trito, spumam multùm increscere, adeò ut aphroscorodon, à spuma, pro ophioscorodo legendum sit: cùm etiam ophioscorodi nulla sit apud authores mentio.*

Scorodoprasum, *quasi dicas*, Alliū *porrinum.* Nam Porrum & Allium *simul est.*

Secale, *secalis*, Seigle.

Sedum, *uide* Aeizoon.

Seris *cichoreum*, *uide* Cichoreum & Intybus.

Serpillum, ἕρπυλλον, Serpoulet. Nicander ἕρπυλλον νομαῖον *appellat, quòd per pascua sese continuè expandat. &* φιλόζωον, *quòd seipsum noua continuè sobole & propagatione radicet.* Serpit *enim, à quo nomen habet.*

Sesamon, σήσαμον, *planta est similis* Milio, *& habet semen simile* Oryzæ. *Italia olim erat fœcunda* Sesamo, *sed desitum est seri, quia emaciabat agros: uel, quod uerius est, quia ex quo ex oliuetis olei copia habita est, & homines cœperunt melle & saccaro ad dulciaria uti, negligi etiam cœpit. Vulgò dicitur* Iugiolina.

Seseli Massiliense *habet folia fœniculi, sed crassiora, & umbellam* Anethi, Siler *montanum dicitur.* Allobroges *uocant* Sermontain: *herbarij quidam uocant* Saxifragiam maiorem.

Seseli AEthiopicum *est uulgaris* noſtra Terebinthus, *quæ uisitur in hortis* D. Cardinalis Bellaij.

Sitanion *species tritici trimestris, quod satum* Martiò *mense, tertio plerunque mense absoluitur. huius farina (quoniam magis emplastica est) utitur* Hippocra-

ctes in uulneribus. Lege illius librum de Fracturis.

Sycaminus, ἡ μορέα, Morus arbor, Meurier: συκάμινον, Morum, Meure.

Sycomorum Galenus ait se uidisse in Alexandria, cuius fructus similis erat paruæ ficui albæ, ita ut in medio mororum & ficuum locari posset: unde nomen inuenit, non (ut Dioscorides scribit) διὰ τὸ ἄτονον τῆς γεύσεως, id est, propter inefficacem gustum, quasi fatuam ficum. Celsus uocat hanc arborem dictionibus inuersis Morosycon.

Sideritis, herba Iudaica uulgò, & Tetraic. uidetur sic appellata, quòd uulnera ferro facta glutinet. σίδηρος enim ferrum significat.

Siligo, ὄλυρα, sub tritico comprehenditur, ut ex Dioscoride facilè est coniicere. quod Celsus confirmat his uerbis, Firmius est triticum, quàm milium, idipsum quàm hordeum, & ex tritico firmissima siligo. Plinius uocat etiam Siliginem tritici delicias: unde Paulus Ægineta ἐρρωμενέστατον τῶν ἄρτων σιλιγνίτην dixit. hæc fruges etiamnum uidetur in Gallia Narbonensi, ubi Touzella appellatur.

Siliqua, arbor, κεράτιον, Carrubier: fructus autē Carrubes in Gallia Narbonensi. Nomen à cornu (cuius figuram exprimit Siliqua) factum est. uide Ceratonia.

Siliquastrum, Piperitis, quæ quibusdam dicitur Piper Indicum: aliis placet esse Cardamomi genus.

Silphium, Beniouin. uide Laser.

Symphytum petræum uulgare, folio est origani, & capitulo thymi, sed cætera non respondent: tamen pro eo Bugla uti possumus. Nomen autem à glutinandis his, quæ discissa sunt, habet.

Symphytum minus, Belides, Marguerites.

Symphytum maius à posterioribus Latinis Solidago *dictum est*. In *Officinis* Consolida maior. I*n quibusdam* Galliæ *locis* Auricula Asini *dicitur*.

Sinapi, σίνηπι, Seneue. Moustarde.

Sion, *Lauer*, *uulgò* Berula, De la berle.

Sisymbrium aliud dicitur Mentha *aquatica*, *quæ plantata mitescat*, *&* *dicitur* Balsamita: *aliud est nostra* Cardamine, Cresson des ruisseaux. *uide* Cardamine.

Smilax, *Taxus*, If: *hanc abieti similem scribit* Nicander *in* Theriacis, *odore admodum ueneno so*.

Smilax aspera, *foliorum ambitu spinoso in* Gallia Narbonensi *uisitur*. Nihil *pro cognoscenda hac planta* Theophrasti *historia certius est*.

Smilax læuis, Liset & Liseron, *à ligandis plantis*, *quibus adnascitur*, *ut* Cissampelon *esse uerisimile sit*. Q*uibusdam placet esse eam plantam*, *quæ à* Paduanis Liguribus Balsamina *dicitur*, *&* *quæ pomum* Hierosolymitanum Hetruscis *dictum fert*.

Smilax hortensis, *frutex ferens phaseolos & fabas pictas*: *fructus dicuntur à posterioribus Græcis* λόβια.

Smirnium, Leuesche, *dictum est* ἀπὸ τῆς σμύρνης, *id est*, *à* Myrrha, *quam olet*.

Solanum, στρύχνος, De la morelle.

Solanum Manicum, στρύχνος μανικός. *uide eius descriptionem apud* Theophrastum. *Sic dicitur*, *quòd furorem & insaniam excitet*.

Solanũ somniferũ, στρύχνος ὑπνωτικός. *Pharmacopolæ & herbarij* Solatrum dormitoriũ *uocant*. *Noxiam hanc herbam menti omnes tradunt*, *adeò*, *ut si-*

quis ultra duodecim corymbos hauserit, mētis ecstasin sentiat. De Solano halicacabo *diximus suo loco.*

Sonchus *alter candicans est & ἐδώδιμος, à* Venetis Lactucinus *dictus: Alter uerò niger est, καὶ τραχύς.* Vterq; *à uulgo* Gallorū Laicteron, *quo cuniculi aluntur, dicitur.* Apuleius Lactucam *leporinam appellat.*

Sorbus, ὄα *uel* ὄη, Cormier. Sorbum *est ipse fructus,* La corme.

Sparganium *ostenditur, quod licet quidam* Tormentillā *uocent, tamen non est uulgaris* Tormentilla. Dictum *est autem* Sparganium, *quòd habeat foliū simile his cingulis, quibus in cunis infantes ligamus: τὰ σπάργανα enim sunt fasciæ.*

Sphondylium *uel* Spondyliū *ostenditur simile* Pastinacæ. Meminit *huius herbæ* Nicander *in generali* Theriacæ, *quam aduersus uenenata omnia conficit.* Nomen *habet à uertebris, uel uerticillis fusorū, qui spondyli μεταφορικῶς dicuntur.*

Stachis, Saluia mollis, Saluia montana, Saluia rustica *uulgò dicitur: uox significat* Spicam. Nā *ubi hæc herba ad florem festinat, toto habitu est spicato.*

Staphis agria *nomen retinet.* In Officinis *quibusdā dicitur* Pituitaria, *quòd eius semen mansum pituitam ex capite in os deducat.* Illitum *porrò ex oleo capiti puerorum, pediculos enecat, unde* Pedicularis *herba à* Latinis *dicta est. uox significat uuam passam agrestem.* Nam *folia huius herbæ rugosam uuam magis, quàm integros acinos exprimunt.*

Stœchas, *dicitur* Stœchas *citri à* Pharmacopolis: *dicta est autē à* Stœchadibus *insulis in mari* Iberico. Multa *est* Stœchas *præsertim* Citrina *in* Gallia Narbonensi.

Stratiotes nascitur in aquis, nomē significat militarē.

T

Tamarix, uide Myrica: fiunt ex Tamarice cymbia, ex quibus potant, qui ex splene laborant. In hunc quoque usum in Germania, uina Tamariscina nunc fiūt. uulgus hanc arborem infœlicem uocat, quòd nihil ferat, quanquam Plinius contra Dioscoridem & Galenum fructum ferre affirmat.

Thapsia nomen retinet: ab antiquis Latinis Ferulago dicebatur. Nomen id habet, quòd in Thapso insula primùm inuenta sit. nascitur in Apennino, ubi Crassegnana dicitur.

Taxus, Smilax, If. Vide Smilax.

Teda, pinguior ramus Piceæ: Græcè δᾳς, καὶ δᾳδίον. aliquando tamen pro arboris specie accipitur.

Telephium, uulgò Faba inuersa, Orpinum: alijs Crassula maior dicitur, & Portulaca agrestis. uidetur sic dictū, quòd uulneribus, quibus rex Mysiæ Telephus consenuit (quæ etiam ob eam rem Telephia appellantur) uulneratus ab Achille, auxilietur.

Terebinthus, τέρμινθος ea arbor est, ex qua fluit resina, quæ Terebinthina Veneta dicitur, pro qua nostri Pharmacopolæ Resina laricea utuntur.

Teucrium nomen retinet: & ostenditur ab herbarijs. Nomen autem accepit à Teucro Aiacis fratre inuentore, ut Plinius author est, apud quem lege quomodo planta hæc inuenta fuerit. A quibusdam dicitur Chamædrys, quòd ei plantæ similis sit: hæc herba etiam uulneraria est, uino incocta. Hieronymus Tragus herbam, Officinis & herbarijs Veronicam dictam Teucrium Dioscoridis esse credit.

Thalietrum, θαλίκτρον, *ab herbarijs putatur ea esse, quæ super muros nascitur, uulgò* Argentaria *dicta. Itali uocant* Brisaculo, *à fœdo eius odore.*

Thymelæa, Oliuella *quibusdã*, *&* Linũ syluestre *dicitur. Sunt qui credant Thymelæam Dioscoridis uerum* Mezereon *Mesuæ. Nam utrique fructus Myrti baccæ æmulus est: folia etiam utrique oleæ similia.*

Thymbra, *Satureia*, Sarriette. *Vide Satureia.*

Thymũ, θύμος, *uel* θύμον, *ut Theophrastus:* du Thyn. *Totam huius plantæ naturã longiore descriptione initio lib. 6. de histor. plantar. Theophrastus cõplexus est.*

Thlaspi, θλάσπι, *uel (ut Galenus scribit)* ἡ θλάσπι: *uulgò* Nasturtium tectorum, *&* Sinapi rusticorũ. *Nomen habet à* θλάσαι, *quod est frangere, quòd semen Nasturtij simile, disci figura, & uelut* ἐνηθλασμένον, *id est infractum, habeat.*

Thryallis, est tertia species Phlomidis, id est, parui Verbasci, quæ dicitur Thryallis & Lychnis, quòd eius folia crassa & pinguia, ad lucernas sint apta. Vide Lychnis.

Tilia, du Tillet.

Typha à uulgo Gallorum Massa *dicitur, à similitudine insignis illius clauæ argenteæ uel aureæ, quæ ante magistratus gestatur. Nam hæc herba in paludibus & stagnantibus aquis erumpit, folio Cyperidi simili, caule alto, læui, enodi, in cuius capitulo lanugo densa est, quæ in pappum tandem euanescit. Sunt qui scribendum putent* τίφλω, *ut unius literæ mutatione differat à cereali Typha, de qua multa à Galeno lib. 1. de Aliment. scripta sunt.*

Tithymalus à Celso dicitur Lactuca marina, à uul-

go Lactuca capraria. *Galli* Herbe a laict. *Primus Tithymalus* Dioscoridis *est* χαρακίας, *quòd uallis muniendis aptus sit, qui etiam* Amygdaloeides *dicitur.* Secundus Myrtites, *à folijs* Myrti, *uel* Rusci. Tertius Paralius, *id est, nascens in locis maritimis.* Quartus Helioscopius, *quòd eius coma ad solis cursum circumagatur.* Quintus Cyparissias *à folijs* Cupressi, *uel potius* Piceæ *recẽs natæ.* Sextus Dendroeides, *id est arborescens, à ramorum copia.* Septimus Platyphyllos, *à foliorum latitudine, quem* Galenus φλόμῳ προσεοικότα *dicit, id est,* Verbasco *similem.* Omnes *herbæ, quæ lac purgatorium habent, sunt in genere* Tithymalorum, Turbith Mesuæ *quibusdã uidetur secunda species* Tithymali. Nicander *hanc herbam* θυμαλλίδα *uocat, quam* ἀγλαγία, *id est, lacte abundantem, appellat.*

Tragopogon, *Latinè* Barba *hirci: est autẽ ea planta, quæ ab* Italis Herba di prete *dicitur. Quæ uerò ostenditur pro* Tragopogone, *est uerius* Gerontopogon. Theophrastus *describit aliũ* Tragopogona. *Tu eum legito.*

Tragoriganum Ruellius *eam herbam putat esse, quæ uulgò* Mastic *dicitur: herba est folio* Sampsuci, *flore paruo, odorato, è cuius umbella propendent ueluti uilli, similes incanis hircorum uillis, unde nomen habere creditur: nam* τράγος, *hircus est: odore* Sampsuco *non cedit.*

Τράγος σιτώδης, *id est frumentaceus, quibusdam putatur esse* Triticum *barbatum.* In *quibusdam locis appellatur* Blé turquet. Significat *&* confectionem *ex* Zea *&* tritico, *cuius meminit* Hippocrates *in lib. de ratione uictus in morbis acutis.*

Τράγος πόα, *id est,* Tragus *herba, nascitur in muris*

& petris Maio *&* I*unio, in* O*fficinis quibusdam dicitur* Vermicularis.

T*ribulus,* τρίβολος, *aquaticus præsertim, uulgò uocatur* Chausse trape, *apud* P*ictonas dicitur* Macre. I*n* C*ampania* Saligos . H*erba est nascens in stagnis & paludibus, folio ulmi, semine nucis magnitudine, duro & multùm aculeato, cuius nucleus non minus, quàm castanea esculentus est.* Nomen *à triplici cuspide habet, ad cuius formam factæ sunt machinulæ ferreæ tetragona forma, quæ quancunque in partem incubuerint, unum aut duos aculeos semper protendunt, murices à* L*atinis dicuntur.*

T*richomanes, species* A*dianti, folijs* L*entis palustris, à uulgo* P*harmacopolarum* Politrichon *dicitur.* V*ide* A*diantum.* N*omen habet à multa capillorum luxuria.*

Τρίφυλλον, L*atinè* T*rifoliũ odoratum, frutex est cubito altior, uirgas tenues habens, nigris iunceísque adnascentijs præditas, in quibus folia sunt* L*oto arbori similia terna in singulis germinationibus, quibus recens natis* R*utæ odor inest, auctis uerò* B*ituminis. in* O*fficinis* Trifolium *simpliciter dicitur.*

T*rifolium pratense album,* Treufle blanc.

T*rifolium pratense purpureũ,* Treufle incarnat.

T*rifolium pratense luteum,* Treufle iaulne.

T*rifolium acutum, quod* O*xytriphyllon dicitur (ut* S*cribonius* L*argus scriptum reliquit) nascitur in* S*icilia .* Q*uod uerò apud nos* O*xy, siue* O*xytriphyllon dicitur,* O*fficinæ & herbarij* Panem cuculi & Alleluya *uocant.*

T*ripolium, sunt qui putant esse* Turbith Serapionis. T*ripolium autem ex eo dictum est, quòd eius fo-*

lia (*teste* Dioscoride)*ter die mutentur*, Candida *mane*, Purpurea *meridie*, Puniaea *in occasu*. Vide Pityusa.

Trisago, *uulgò* Serratula, Quercula, Quercus terræ *dicitur*. Vide Chamædrys.

Triticum *in quibusdam locis dicitur* Blé, *in aliis* Fourment. *Eius species & differẽtias lege apud* Dioscoridem & Columellam.

Tuber, Trufle, ὕδνον *Græcè dicitur*, *uel* οἴδνον, *ut loquitur* Theophrastus, *à uerbo* οἰδαίνω, *id est tumeo*. Simeon Zethus *scribit eorum usu frequenti* Epilepsiam & Apoplexiam *effici*. *Credidit antiquitas illi affinitatem esse cum cælo, nec nisi tonante* Ioue *nasci, ut* Iuuenalis *scribit*,

-*& facient optata tonitrua cœnas*.

Tussilago, βήχιον, *à* Paulo AEgineta *appellatur &* Chamæleuce. Vide Bechion.

V

Valeriana, *Græcè* Phu, Valeriane. *Quidam* Latini *uocauerunt* Nardum *syluestrem*.

Veratrum, Vide Elleborus.

Verbascum, Vide Phlomus.

Verbenaca, *Græcè* Peristereon, *quòd columbæ circa hanc lubenter uersari soleant*. Veruaine. *Duplex est* Verbena, *recta & supina*. *Recta est uulgi* Veruena. *Supina*, ἱεροβοτάνη, *id est, sacra herba, est* Verbena *communis*.

Viburnum, Vide ἄμπελος μέλαινα.

Vicia, Vesse. Varro *eam dictam putat à uinciendo, quòd capreolos similiter uiti habeat*.

Vicia *syluestris, est ea quæ dicitur* Aphace, Vesse sauuage, Vesseron. Vide Aphace.

Vetonica, uel Betonica, *κίςρον*, *duplex: Erratica quæ* Armoiries *à Gallis dicitur: Altilis quæ* Oeillets *uocatur. Nomen habet (ut ait Plinius) à Vetonibus in* Hi*spania populis, qui eam herbam inuenerunt, quæ in* Gallia Betonica *dicitur. quanquam Betonica est & herba ea, quæ nobis* Betoine *dicitur.* Vide *Betonica.*

Vinca peruinca, Clematis daphnoeides, Peruãche.

Viola est propriè ea quam uulgus Giroflee *appellat.* Vide Leucoion.

Viscum, ἰξὸς, du Guy.

Vitex, Vide *Agnus castus.*

Vmbilicus Veneris, *Græcè κοτυληδών. Primæ speciei huius plantæ frequenti usu marem concipi, quemadmodum secundæ speciei fœminam,* Hippocrates *scribit.* Vide *Cotyledon.*

Vlmus, Orme, *πτελέα.*

Vnedo, Arbutus, *arbor est & fructus, quem* Cerasiũ marinum coriarii *in Italia appellant. Dicitur autem Vnedo, quòd unũ tantùm comedere liceat: magnũ enim dolorem capiti infert.* Vide *Chamæcerasus.*

Vnio antiquis Cepa *erat, unde Gallicum nomen,* Oignon.

Vrtica, ἀκαλήφη, Ortie.

Vrtica mortua, quæ non pungit, Plinio Lamium *dicitur.*

Vrticarum syluestrium acrior dicitur Cania.

Vrtica, quæ dicitur Griesche, *nomen accepit à uoce Græca ἄγριος. Vrtica autem Latinis ab urendo dicta est: ἀκαλήφη uerò Græcè κατ' ἀντίφρασιν appellata est, quasi μὴ ἔχουσα καλὴν ἁφὴν, quam non sit tutum attingere: excitat enim κνισμούς. unde à quibus-*

dam κνίδη *dicta est.*

X

Xanthium, Lappa, φιλάνθρωπος*: herba quæ fert* des Gratterons tenans aux robbes. *Sic Græcis dicitur* ὅτι ξανθὰς τρίχας ποιεῖ, *id est, quòd flauum capillum faciat.* Vide *Lappa.*

Xiphion, Latinè Gladiolus, cultellato folio herba, uulgò Spatha segetalis, L'espee de bleds. *Plinius confundit aliquando Xiphion cum Cypero.*

Z

Zea tritico similis est (ut Theophrastus ait) Spelta, Peaulte: *laudatur multùm ab Homero qui aruum* ζείδωρον *passim appellat.*

Zytho antiquorum respondet nostra Beria. Columella Zythi in suo carmine meminit, AEgypti inuentum, & eius usum ostendens,

Iam Siser, Assyrióque uenit quæ semine radix,
Sectáque præbetur madido sociata Lupino,
Vt Pelusiaci proritet pocula Zythi.

DE NOMINIBVS PISCIVM, ex Latinis & Græcis authoribus, cum Gallica eorum appellatione: quibus in postrema hac æditione multa accesserunt.

Ἄβραμις, Breme.

Asellus maior, Græcè ὄνος: minor, ὀνίσκος dicitur, Merlus, Aigrefin. Varro hũc piscẽ ab asini colore sic dictũ scribit. Hic piscis febri laborãtibus non minus saluber est, ut Galenus ait, q̃ quilibet alius saxatilis piscis.

Anguilla, ἔγχελυς, Anguille. Anguillam Varro dictã putat, quòd angui similis sit.

Acus, ἡ βελόνη, uel ἡ ῥαφὶς, Aiguille: collum habet gruis uel ciconiæ similitudine, colorẽ uerò argenteum.

Aurata, uel Orata, ὁ χρυσόφρυς: in Aquitania, Daurade. Sic autem dicta est, quòd (ut ait Ouidius in Halieuticis) auri decus imitetur. Nam & Græcum nomen supercilia aurea significat. Inter Auratas uẽditur nũc Zaphirus piscis, à colore cyaneo dictus, sapidissimus, qui fortasse fuit Scarus antiquorum.

Alosa, uel Alausa, Alose: hoc nomine Gaza τὴν θρίσσαν piscem apud Aristotelem exprimit: Latini Clupeam uocant, quod nomẽ Veneti retinuerũt, Chieppa enim ab eis dicitur. Hic piscis in Aquitania tam frequẽs est, ut rectè plebis opsonium Ausonius dixerit. In ea autẽ regione præsertim maior, Coulac uulgò dicitur: Pisces autẽ quos hîc puellas des Pucelles, & in Aquitania Gathes uulgus uocat, de alosarum genere sunt. uiri docti etiam eos pisces qui uulgò Harens & Sardes dicuntur, putant ad hoc genus referendos.

Alburnus uidetur piscis, quem uulgò Able dicimus,

qui, ut Ausonius *ait, præda est puerilibus hamis: uel potius is piscis est, qui etiamnum apud* Santonas, Aubourne *nomine à* Latino *facto, dicitur.*

Ἀμία Romæ & Neapoli Lampuga *dicitur.* Piscis *est scombri magnitudine, rictu magno & luteo, dente uno in inferioris gingiuæ mucrone, qui superius labrũ & nares perforet, cæteris dentibus introrsus hamatis, & ingrediẽti escæ cedẽtibus, exeunti renitentibus: colore albo est, liuidis maculis ueluti argenteis guttis distinctus.* ἔυχυλον *autẽ, id est, boni succi,* Hicesius *apud* Athenæũ *scribit.* Ἀμίαι *autem dicuntur* ὅτι οὐ κατὰ μίαν φέρονται, ἀλλ' ἀγεληδόν. *id est, quòd non solæ, sed gregatim uiuant.*

Apua, ἀφύη, Anchois. *Sic dictus est pisciculus hic quòd ex pluuia nascatur.* Latinè *etiam lupus, quòd immani rictu pro portione reliqui corporis sit præditus.* Græcis *etiam* ἐγκρασίχολος *dicitur, quòd caput bilioso quodam humore & amaro imbutum habeat.* Itaque *dum ex ea salsamentum fit, caput ei adimitur, ob id mutilis appellatur.* Ex *eo fit muria. lege* Plinium *libro* 31. *cap.* 8.

B

Balena, ἡ φάλαινα, Balene: *fistulam in fronte habet.*

C

Cyprinus, κύπρινος, *uel (ut est apud* Athenæum*)* κυπρίανος, Carpe. Dorion *autem apud eum authorẽ,* λεπίδωτον, *id est squamosum, appellat.*

Congrus, *uel* Conger, γόγγρος, Congre. *Galenus hũc piscẽ duræ carnis esse scribit, & quæ uix confici possit.*

Cuculus, κόκκυξ, Cocu: *à* Massiliensibus Gallina *dicitur: à* Neapolitanis, Cocchus: *à* Siculis, Cochus. Piscis

is irretitus uocem Cuculi *auis similẽ edit.*Vnde *nomen inuenit.* Numenius *apud* Athenæum *hunc* ξυθρὸν *appellat, id est, rubrum: quæ appellatio conuenit pisci, qui pro cuculo ostenditur.*

Crocodîlus, ὁ κροκόδειλος, Crocodile. κροκόδειλος *autem dicitur* παρὰ τὸ δειλὸς, καὶ τὸ κρόκος: *nam* Crocodilus, *præsertim terrestris, crocum refugit.* Ob *id mellis confectores dũ timent alueis à* Crocodilis, *crocum illinunt. uel* παρὰ τὸ δειλαίνεσθαι τοὺς κροκάλους, *id est, à timendis litoribus maris.* Nam *marinus* Crocodilus *in litore maximè meticulosus est.*

Citharus Massiliæ *appellatur* Truye, *à grũnitu: unde apud* Græcos *nomen habet, quòd citharæ sonũ referat.* Hispanis Gallus *dicitur,* Romæ Pesce di sancto Pietro: *cui uidelicet* Gallus *cantauit.* Piscis *hic setis hirtus est in dorso.* Cæterũ, ꝙ *is piscis* Rhombo *similis dicatur, id ad carnẽ potius, quàm ad formam referendum est.*

Capito, ὁ κέφαλος, *piscis è* Mugilũ *genere,* Testart. Romæ Cephalo *dicitur.* Galenus *optimũ esse scribit, qui in purissimo mari uersatur.* Plura *de hoc pisce* Hicesius *apud* Athenæum *lib.* 9. Dipnosophist.

Cancer, ὁ καρκῖνος, Plinio *est commune nomen, quo* ὀστρακόδερμα *comprehenduntur.* Aristoteles *tamen eos cancros tantùm uocat, quibus corpus est rotundũ.* Cancer *est etiã species* ὀστρακοδέρμου. Galli *uocant* des Crabes. Galenus *scribit* Astacos, Paguros, Cancros, Locustas, Caridas *&* Gammaros *dura carne constare, atque ob id difficillimè confici, sed firmi alimenti esse.*

Cete, τὰ κήτη, *apud* Aristotelem *sunt omnes pisces maximi, uiuipari.* Paulus AEgineta *tamen* Thunnum *ouiparum inter cete numerat.*

Cochlea terrestris, ὁ κοχλίας, Limasson, Escargot. Cochlea aquatilis alio nomine dicitur Turbo, ὁ στρόμβος, Limas de mer. Dicitur autem Turbo, quòd ex amplo in tenue desinat, in uertiginem tortus. Hesiodus κοχλίαν φερέοικον, id est, Domiportã uocat. Plinius scribit Hirpinum instituisse uiuaria cochlearũ, cochleásque altiles ad eam magnitudinem perductas, ut singularum calyces octoginta quadrantes caperent. Carne, ut Galenus ait, dura sunt, & ob id concoctu difficili.

Colias, Maquereau, Maculis liuidis, obliquis in longum in tergo. Scombrus duplo minor, maculis flexuosis, transuersis toto dorso.

D

Delphinus, uel Delphin, ὁ δελφὶς, Daulphin: numeratur inter cete, ut qui animal pariat. hũc piscẽ maximè φιλάνθρωπον esse Aristoteles & AElianus scribũt: Simonísq; appellatione ita gaudere, ut hoc tãquã illicio ductus, appellãtes sequatur, à piscatorib⁹ fide dignis auditũ est.

Digiti, οἱ δάκτυλοι, ex genere testa obductorum, ab Adriatici sinus incolis Cappæ longæ dicuntur. Ex eo autem Digiti appellantur, quòd speciẽ humani digiti gerant. Vngues etiam dicuntur, quòd eorũ testa unguibus sit similis. Appuli hos pisces Imbrices appellãt, quòd eorum testæ imbricibus similes sint. Appellantur alio nomine à Galeno & Athenæo σωλῆνες, αὐλοὶ, & δόνακες. lege Athenæum libro 2. Dipnosophist. Galenus scribit dura carne esse, & obid δυσπέπτους.

Draco, ὁ δράκων, à multis creditur is piscis, qui Viua uulgò dicitur: hũc Galenus, Philotimi sententiã probãs, inter eos qui sunt duræ carnis reponit. Sed reuera piscis nostra Viua multò maior uidetur apud Sãtonas in li-

tore Oceani Aquitanici, Draconi haud lõgè dissimilis.

E

Echinus, ὁ ἐχῖνος, orbiculatus, ex genere testa obducto rũ: undiq; aculeis armatur, quibus pro pedibus ad ingrediendũ utitur. Ericius autẽ à Massiliẽsibus dicitur.

Gobio, Gobius, Cobio, ὁ κωβιός, Gouion, Loches, concoctu facilis, & optimi succi est. Hicesius tamen apud Athenaeum ὀλιγοτρόφους καὶ κακοχύμους esse scribit: quòd, meo quidem iudicio, intelligendum est de his, qui in ostijs fluminũ uersantur. Vide huius piscis descriptionem apud Ausonium in Mosella.

Gãmarus, ἀστακός, Escreuisse de mer. Omar Massiliae adhuc Graecum nomẽ retinet. Locustae forma est, quae ἀστακὸς Graecè dicitur.

Gladius, ὁ ξιφίας, à Massiliensibus piscis Imperator dicitur, ꝙ rostro sit mucronato (ut Plinius lib. 32. cap. 2. scribit) & gladiũ similiter Imperatori gerere uideatur.

Hippocampus pisciculus à Liguribus & Massiliẽsibus Caballus marinus dicitur. Capite est oblongo, & collo equino, rostróque oblongo, à cuius frõte tanquam iuba quædã propẽdet. flexu caudæ etiã equum refert.

Hirũdo, χελιδών, Harondelle, à piscatoribus Massiliae Lendola dicitur. Visus est hic piscis à uiris fide dignis quatuor cubitis extra summam aquam ad lapidis iactum uolare.

I

Icthyocolla piscis, cuius coriũ glutinosum est, quòd ipsa nominis ratio ostendit Morue.

Iecorarius, ἥπατος, rarissimus piscis, Abramidis speciem referens. Hunc Galenus inter molli carne pisces, & ἀπάλοις reponit.

L

Lampetra eadem est cum Mustela, quæ Græcè γαλῆ dicitur. Est autem piscis longus, tenuis, & lubricus, sine pinnis, murenæ similis, colore nigricans, branchijs detectis instar foraminum, quæ septem utrinque habet, Lamproye. Docti uiri πολοφάγον, & quæ ab Oppiano ἰχνῖς dicitur, huc referunt.

Λάπος, la Megre, habet in capite duos lapides. De hoc pisce lege multa apud Athenæum lib. 7.

Loligo, ἡ τευθὶς, similis est Sepiæ, nisi quòd aliquãto longior est, quàm Sepia, & quod illa rubrũ, hæc nigrũ in timore liquorem fundat. Dicitur hodie Calamariũ, & à Massiliensibus Græcam uocem retinentibus Tautte appellatur. Calamariũ autẽ dicitur, uel quòd scriptorij calami similitudinẽ gerat, uel quòd atramentum habeat. Hic piscis, etsi tangenti mollis est, carne tamen (ut Galenus ait) dura est, & ad conficiendum difficili.

Lucius, Ausonio dictus Glanis uel Glanius, ab incolis Ligeris & Sequanæ, Brochet dicitur. Piscis est omnium medicorum iudicio ἄπιλος, & optimi succi.

Lupus, ὁ λάβραξ, vng Loup, vng Varol Italis. Spigola Romæ. Franc. vng Bar. Huius piscis descriptionem lege apud Plinium, Ausonium, Iouium, & Massariũ. λάβραξ autem ἀπὸ τῆς λαβρότητος, id est, ab impetu & uoracitate dicitur. Nam aliorum piscium maxima uorago est. Aristophanes apud Athenæum hunc piscem σοφώτατον appellat, quòd (ut ego quidem arbitror) mira arte ex hamo elabatur.

Lutra, uel Lutris, ἐνυδρὶς, vne Loutre.

M

Mugil, Mulet. Multa sunt eorum genera.

Mytuli, μύες, Moules. *Celsus uocat Musculos, quorum iure aluus citari commodè potest.* Diphilus *apud* Athenæum *paruos* Mytulos *omnium optimos, & saluberrimos esse scribit.*

Mulus, Rouget barbu, Barbehault *Burdigalæ*, ἡ τρίγλα: *à colore muleorum calceorũ apud* Latinos *dictus est, quibus purpurei coloris primò reges* Albani, *pòst* Patricij *usi sunt. Docti quidam homines ad mulum etiã referunt, quẽ uulgò* Rouget *dicimus, uel potius* Surmeueillet. *Nobilitatus est autem hic piscis à* Cicerone, *qui eum* Barbatulum *uocauit. Gemina enim barba inferius eius labrum ornatur. Dicitur autem hic piscis etiamnum in* Græcia Trigla. *Ligures &* Massiliẽses *corruptè* Trigam *uocant. Qui* Nicæam *incolunt*, Strilham. *Caro huius piscis durissima est, & maximè friabilis, nutrítque copiosissimè, quum bene concocta fuerit.* Celsus *tamen inter duros & teneros pisces medium facit. Cæterum* Triglæ *dicuntur, quòd (ut ait* Oppianus) τριγόνοισιν ἐπώνυμοί εἰσι γονεῖσι. Id *est* (Lippio *interprete)* Accipiunt Triglæ *trino cognomina partu.* Nam, *ut ait* Aristoteles *lib.* 5. *de historia animalium, ter anno pariunt.* Alij *ex eo* Triglas *dictas credunt, quòd triformi* Dianæ *dicatæ sint.*

Mænæ, αἱ μαινίδες: Mendole *Massiliæ*, Meurtæ *Venetis*, Massario *putantur haleculæ: qualis fortasse est noster* Celerinus.

Muræna, μύραινα, *uel Dorico morẽ*, σμύραινα, Murene: *alia colore subnigro, luteis maculis distincto est: alia albo, nigris maculis uario, oris rictu, nõ aliter quàm anseres, largissimo: foraminibúsq; his caret, quibus* Lãpetra *prædita est: nulláque habet neque branchias,*

neque pinnas. Integra flexuoso corporis impulsu natat: in arido etiã similiter atque serpẽtes serpit. Carniuora est, dentibúsque malefica. Proinde Vedius Pollio eques Romanus nouæ huius sæuitiæ perscrutator, seruos ad mortẽ damnatos, non ad feras, sed in murenarũ uiuaria proijciebat. Optimæ ex hoc genere sunt, quæ Flutæ, à Græcis πλωταὶ, *quasi nauigabiles dicuntur, quòd in summa aqua fluitãtes mergi nõ possint. Piscis hic in uiuarijs Romæ altilis fuit. Crassus enim altilẽ murenam adamauit. Antonia Drusi etiam sic in delicijs murenã habuit, ut gemmatas inaures ei addiderit.*

Murena fluuiatilis omnino nostræ Lampetræ similis est: & à quibusdam Galeos dicitur. Athenæus Andreæ cuiusdam authoritate affirmat falsum esse Murenas cum uiperis coire. Murenarum porrò carnes non minus nutriũt, quàm anguillarum & congrorum, ut Hicæsius affirmat: uerùm propter duritiam quandam innatam, & humorem tenacem difficillimè concoquuntur. Earum lactes multum commendantur, quibus Heliogabalus (ut Lampridius refert) omnem aulam & rusticos aliquando pauit.

N

Natex, ἡ νηρίτη, Nacre. *Natrix Theodoro, cochlea marina, magnitudine exigua, turbinati generis, læui testa, ampla & rotunda: ab incolis sinus Adriatici etiam nunc Nerite dicitur. Hispani uocant* Caragolum, petit Limaſſon de mer.

O

Orata, Vide Aurata.

Ostrea, ostreæ, uel Ostreum, τὰ ὄςρεα, Ouitres, *concharum generis nobilissima, testam scabram habent,*

inter lautissimos cibos recepta. Ea, quum Romana res magnitudinis & luxuriæ fastigium teneret, Brundusio in Lucrinum lacum transferebantur, ubi mirificè pinguescebant. Vnde Martialis,

Ostrea tu sumis stagno saturata Lucrino.

Fuerúntque adeò in honore ipsis gulæ proceribus, ut in remotissimas à mari regiones ligneis lacubus apportarentur. Galenus Ostrea inter alia testacea carnē habere mollissimā scribit, aluúmque ualentius subducere, & corpus imbecillius nutrire. Plura de his Mnesitheus apud Athenæū libro tertio Dipnosophistarum.

P

Paguri, πάγουροι, ex cancrorū genere, dorso aliquanto læuiore, quàm cæteri cancri, forcipibus ita magnis sunt, ut quicquid corripuerint, uehemēter constringāt. hi dū coquuntur, partim rufescunt, partim nigrescunt. Veneti eos Poros *uocant, Massilienses* Carabasos.

Passer, ἡ ψῆττα, Græcis nomen est cōmune, quo comprehendunt omnes hos pisces, qui uulgò Soles, Poles, Plies, Quarlets, Limandes, Flez, Barbues, Turbots *dicūtur. Rhombus autem (quē Gallico nomine* Turbot *appellamus) & passer solo corporis situ differunt. Si enim Rhombum sic in latus componas, ut oculi cælum suspiciant, & mentum deorsum uersus spectet, pars supina erit dextra: sed si similiter Passerem constituas, supina pars erit læua. Rhombus igitur est Passeri similis, sed amplior. Passer uerò doctis quibusdam hominibus* nostra Pleza *est. Nam hic piscis supina parte candidus, & prona nigricans, similiter passeri aui est. Alijs putatur esse* Barbua nostra, *quam Rhombi fœminam quidam coqui appellant. Piscis hic mollē car-*

nem habet, & quæ confici facilè potest.

Pastinaca, ἡ τρυγὼν, Planus & cartilagineus piscis. à Liguribus Ferrasa, à Massiliensibus & Monspessulanis Glorieuse, Crapault de mer, à Siculis Bastonaca dicitur. Gerit hic piscis in cauda aliquid, quo nihil pestilẽtius mare generat. Carnem habet mollem ac iucundam, nec concoctu difficilem.

Pectines, οἱ κτένες, Coquilles de Sainct Iacques, binis auribus sunt ex genere testaceorum, quæ sanguine carent, noménque ex eo habént, quòd striati, pectinatímque, & rugis quibusdã diuisi sint. Quòd autem ab Aristotele pisces hi uolare dicuntur, id ita accipiendũ scribit Massarius, ut intelligas eos celociter se mouere, & ueluti se eiaculari. Eorũ ius, ut omniũ ferè concharũ, ad mouendam aluum cõfert. Tu plura de hac re apud Athenæum lib.3. Dipnosophist. lege.

Pectunculi, Pectuncles, altera aurium mutili.

Pelamides, αἱ πηλαμίδες, parui Thunni. Des petis thuns. Nam à sexto mẽse ad annum Thunni Pelamides dicuntur. Dictæ autem sunt Pelamides, quòd in luto uersentur. Pisces hos non esse tam dura carne, quàm maiores Thunnos Galenus ait: &, si sale condiantur, laudatissimis non cedere. Quod ipsum scribit Athenæus libro octauo Dipnosophist.

Perca, ἡ πέρκη, Perche. Alia marina est, alia fluuiatilis. Marinam tertio loco inter saxatiles Galenus reponit, Chana, Perca, Phycis, seu fuca similes sunt.

Phoca, φώκη, Vitulus marinus, Beuf de mer, ex genere cetaceorum, ob id carnem duram habet, & excrementitiam.

Polypus, ὁ πολύπους, Poupre, à multitudine pedum

nomen inuenit: ex mollium genere est, pedibus octonis constans, per quos acetabula quædam dispersa habet, quibus quod apprehenderit, ita retinet, ut diuelli nequeat, adeò ut hominem in terram deijciat. Describitur hic piscis diligentissimè ab Aristotele libro quarto de Historia animaliũ, qui locus citatur ab Athenæo libro 7. Dipnosophist. ubi de Polypi natura multa scribit. Cæterũ etsi ex mollibus est piscibus, tamen (ut Galenus ait) durã carnem habet, & concoctu difficilem.

R

Raia mas, ὁ βάτος, uel ἡ βατὶς, vne Raye. Dicitur autem βάτος, quòd caudam spinis horrẽtem habeat. βάτος enim sentem significat. Inuenitur tamen huius generis piscis cute læui, quem Græci λειόβατον dicunt: & alius maculis distinctus, & ob id βάτις ἀστερίας dicitur. Piscis hic, ut cartilaginea omnia, carnem mollem & concoctu facilem habet.

Rhombus, vng Turbot, nomine Passeris ab Aristotele comprehenditur: Rhombus autem uox Græca est, significãs propriè figuram quadratam, solidam, cuius latera sunt æqualia, anguli uerò omnes obliqui. ad quam figuram piscis hic effictus est. Cæterum mulieres ueneficas ad lunam deducẽdam Rhombo usas esse ex Martiale conijcere licet,

Quæ nunc Thessalico Lunam deducere Rhombo, &c.

S

Salar Ausonij sine dubitatione est uulgaris nostra Trutta. Prima ætate autem Salar purpureis guttis distinguitur, Ieune truitte: Media maculis atris, grande Truitte, deinde Salmo.

Salmo, Saulmon, piscis fluuiatilis, squamosus, car-

ne interius rubra.

Salpa, ἡ σάλπη, Salpe, Vergadelle *apud Montem Pessulanum. Piscis est obscœnus sectans stercora,* de cu*ius natura, lege librum quintum de historia animaliũ Aristotelis, &* Athenæum *lib.7. Dipnosophistarum.*

Sardas, & Sardinas ex hoc dictas Galenus putat, quòd ex Sardinia importentur. Theodorus his uocibus Græca nomina, τριχίδας & τριχίας, apud Aristotelem exprimit. τριχίδες autem appellantur à minutis ossiculis, pilorũ subtilitatem æmulantibus. Nos uulgò Sardines, Anchois, & Sardes *appellamus.*

Scombrus, ὁ σκόμβρος, ex genere lacertorum, à Liguribus & Neapolitanis dicitur Lacertus, *à Massiliensibus* Auriolus. *Hicæsius apud Athenæum piscem hũc εὔχυλον, id est, boni succi, plurimúmque alere scribit. Vide Colias.*

Sepia, ἡ σηπία, Seche. *De huius piscis natura multa iam dicta sunt in dictione Loligo.*

Solea, βούγλωσσον, Lingulaca à Varrone, Sole: *piscis planus similis Passeri, carnem mollem & confectu facillimam habet.*

Sturio, uox est à uulgo excogitata ad significandũ magnum illum piscem, quem Galli Esturgionem, *omniũ lautissimum uocant. Atilus Latinè dicitur. ab Aristotele φωκαῖνα, à Plinio Turzio: quidam exossem, alij entacum & Oxyrhinchon esse putant. Piscis hic Burdigalæ frequentissimus est, ubi* Creac *dicitur, quòd (ut ego quidẽ arbitror) eius caro quadrupedis carnem uerius referat, quàm piscis. Paulus Iouius putat esse antiquorum Silurum, cui reclamat Massarius. Tu eorum commentarios lege.*

T

Testudo, ἡ χελώνη, Tortue, ex eorum genere, quæ ὀστρακόδερμα dicuntur, & oua pariunt.

Testudo aquatilis, Mus marinus à Plinio dicitur.

Testudo terrestris, Mus terrestris dicitur. Aristoteles testudines in aqua uersantes appellat ἐμύδας. Marinæ testudines in mari Indico, seu Taprobana insula ad tantam magnitudinem perueniunt, ut singularum testa habitabiles casæ tegantur.

Thũnus, ὁ θύννος, la Thunnine. Caro huius piscis ut cetaceorum omniũ, dura est, & multùm excrementi habens, nisi sale condiatur, quæ tunc est nostra uulgaris Thunnina: optima quidem, si (ut scribit Aristoteles) ex annoso Thunno fiat. Dicitur autem Thunnus ἀπὸ τοῦ θύειν, id est, ὁρμᾶν, hoc est, moueri multo impetu. Nam hic piscis & Gladius agitantur œstro Canis exortu. habet enim uterque piscis per id tempus sub pinna tanquã uermiculum, quem asilum uocant, effigie scorpionis, magnitudine aranei: unde fit, ut eo permotus Thunnus in nauigia exiliat.

Tinca, Merulæ marinæ simillima, Tanche: hunc piscem uulgi solatium uocat Ausonius in Mosella, quòd pauperioribus tantùm apponatur.

Torpedo, ἡ νάρκη, uulgò Gramphus ab effectu dicitur, quòd efficiat Guttam grampham, La goutte grampe. Nam leuem quendam torporem tangenti inducit. Dicitur etiam Torpin: Massilienses Miraillet à maculis, Ligures Tremorizam uocant. Piscis hic ex genere cartilagineorum est, carnémque mollem, iucundam (ut Galenus ait) & coctu haud difficilem habet. Athenæus tamẽ libro septimo Dipnosophistarum huius

piscis caput tantùm, & huic propinquas partes confectu faciles esse scribit. Comeditur Venetijs & Ianuæ.

Trigla, uide Mulus.

Tructa, uel Trotta, Truitte. Vide Amia & Salar.

V

Vertebra, ὁ σπόνδυλος, uel σφόνδυλος, Columellæ inter conchas est. Constat autem duabus conchis, atque ex posteriori parte uertebris quibusdã continetur, unde nomen inuenit.

Vmbra, ἡ σκίαινα, uulgò Vmbrina, frequens est piscis in Ligeri. Dicta est Vmbra à colore. Dicitur & ab Epicharmo apud Athenæum, σκιαθίς.

Vnguis, Vide Digitus.

Vrtica, ἡ ἀκαλήφη, à Plinio numeratur inter ζωόφυτα, id est, quæ nec animalium, nec fruticum, sed ex utroque temperatam naturam habent. Totus carneus is piscis est, nulláque testa clauditur. Tactus eius, ut terrenæ urticæ dolorem immittit. Ligures & Massilienses adhuc Vrticam uocant.

NOMINA AVIVM GRAECA & Latina, cum Gallica eorum appellatione.

Acanthis uertitur à Gaza apud Aristotelē Spinus & Ligurinus. Quidā putant eam esse auē, quæ Chardonneretus dicitur. Dicitur autem Acanthis, ἀπὸ τῶν ἀκανθῶν, id est, à spinis, in quibus pascitur.

Accipiter, ὁ ἱέραξ, Sacer ales à Virgilio Græcæ uocis uim exprimente dicitur, quo loco, Sacer pro magno, meo quidem iudicio, accipiendum est: nam Accipiter aquilam magnitudine æquat.

Acredula, ὀλολυγών, auis canora, à quibusdā uulgò dictus Rauatinus esse creditur, alijs noster Tarinus, alijs Luscinia. Ex earum genere est, ex quibus futura tempestas prædici potest, ut scribit Aratus, ἢ τρύζει ὀρθρινὸν σημαίνη ὀλολυγών. Quem uersum sic interpretatur Cicero lib. 1. de Diuinatione,

Et matutinis Acredula uocibus instat. Describitur hæc auis ab Arati interprete. tu eum legito.

AEgithus, ὁ αἴγιθος, auis est minima, dissidens cum asino: hic enim se spinis affricans, nidos eius dissipat: quod adeò pauet, ut uoce omnino rudentis audita, oua deijciat. Vide Aristotelem lib. 9. de Histor. animal. & Plinium lib. 10. cap. 75.

Alauda, Latinè Cassita, ἡ κόρυς, κόρυδος, & κορυδαλός, Alouette. Quæ habet cristā, παρὰ φρασικῶς, ἡ κόρυς τὸν λόφον ἔχουσα dicitur, quam Latini uno nomine Galeritam, Varro Galericulū appellat. Galliçè, Cocheuis.

Anas, ἡ νῆττα, vne Cane, ou Canard. Alexāder Myndius apud Athenæū dicit marem maiorē esse, & magis uersicolorē, & id quod cæsiū est in oculis, paulo minus

habere, quàm fœminam. Caro huius auis dura est.

Anser, ὁ χὴν, vne Oye. Auis nota, cuius caro difficillimè cõcoquitur, alæ tamẽ ad coquendũ faciles credũtur. Athenæus scribit Anserũ præsertim σιτευτῶν, id est (ut uertit Plinius) fartiliũ, hepata apud antiquos πολυτελῆ, & Romæ olim περισπούδαστα, id est, magno studio parari solita. De qua re lege Plinium lib. 10. cap. 22.

Apes, apedis, ἄπους, quibusdam putatur esse auis, quam uulgò Martinetum uocant. Caret pedibus, ex quo nomen habet: hirundini usqueadeò similis est, ut uix discerni possit.

Apiaster, ὁ μέροψ. Auicula est apibus nocens, ut scribit Aristoteles lib. 9. de Histor. animal. Mesange uulgò dicitur. Hæc auis simulatque uolare didicit, parentes (ut AElianus scribit) alit, pietatéque omnibus auibus ob id præstat.

Aquila, ἀετὸς, Aigle. Animal est uiolentũ, neq; modò in assequẽdis ad uictũ necessarijs rapinas facit, sed etiã usu carniũ delectatur. Nã ad se explendũ lepores, hinnulos, anseres ex cohorte, & alia pleraq; rapit. Ex auibus maximè acres oculos habet, adeò ut si felle eius ex melle Attico illinantur hebetes oculi, acutiores fiant. De eius natura lege AElianum lib. 14. de histor. animal. De aquilarum generibus lege Plinium lib. 10. cap. 3.

Ardea, Ardeola, ῥωδιός. Heron. Hanc auem pullis uolandi imperitis ducem se præstare ferunt.

Attagẽ, uel Attagena, ὁ ἀτταγὴν, uel ἀτταγᾶς apud Aristophanẽ. Depingitur ab Alexãdro Myndio apud Athenæũ lib. 9. Dipnosoph. Est (inquit) perdice paulo maior, cuius dorsum uersicoloribus maculis distinctum est, testáeq; figulinæ coloris speciẽ gerit, nisi ꝙ magis rufum

est. Graui est corpore, & breuibus alis, ut à canibus facilè capiatur. pulueratione gaudet, & sicut gallinacei, grano utitur. Caro huius auis ad coquēdum facilis est. Laurētius Valla in Raudensem ab Italis uulgò Francolinum uocari scribit. Aristophanis interpres seruos, qbus frequētia stigmata faciē deformarēt, à poëtis dorsi huius auis similitudine, attagas dictos fuisse scribit.

B

Bubo, ὁ βύας, Hibou. Auis similis noctuæ, sed non minor Aquila, ut Aristoteles refert.

Buteo, ὁ τελόρχης, Auis ex accipitrū genere. Buzart. Sic autem Græcè dicitur à testiculorum numero.

C

Caprimulgus, αἰγοθήλας, auis montana, paulo maior quàm merula, minor uerò quàm cuculus, in caprarū stabula aduolans, earū ubera sugit, qua iniuria uber extinguitur, & capræ cæcitas oboritur. Grand merle qui tette les chieures.

Carduelis, uel Carduelus, ἡ ϑραυπίς, Chardonneret. Aristoteles lib. 8. de Histor. animal. refert ex his esse, quæ spinam appetunt: in quibus etiā Spinus siue Ligurinus est, quem Græci ἀκανθίδα uocant: unde factū arbitror, ut omnes eas aues Chardōnerettos Gallico sermone appellemus, quæ spinas & carduos appetunt, etsi inter se differunt.

Cassita, Alouette. Extat elegans apologus de Cassita apud Gellium lib. 2.

Ciconia, ὁ πέλαργος: parentes ætate exacta, magna cura alit, unde ἀντιπελαργεῖν, uerbum factum est: & πελαργικὸς νόμος, lex ab Aristophane dicitur, qua liberi parentes alere iubentur. πέλαργος autem dicitur διὰ τὸ

ἔχειν πτερὰ μελάντερα, ἢ λευκά: πελὸν enim nigrum, & ἀργὸν, album ſignificat.

Cinclus, ὁ κίγκλος, putatur à quibuſdam, quæ uulgò dicitur Battemare. Ex his auibus eſt, quæ ſemper caudam mouent, & ob id à quibuſdam σεισοπυγίδα uocari Suidas ſcribit: quod uerbũ exprimere uolentes Latini quidam, Motacillam audacter uocauerũt. Auis eſt infirma, & quæ per ſe nidum conſtruere non poteſt, unde pauperes, ruſticorum prouerbio, Cincli uocantur.

Circus, ὁ κίρκος, tertia ſpecies accipitris, quam uulgò appellamus, Quercerelle.

Columbus, uel Colũba, περιστερὸς, uel περιστερὰ, nomẽ eſt, quo ſpecies omnes τῶν περιστερῶν ab Ariſtotele lib. 5. de Hiſt. animal. deſcriptas cõplectimur: quanquã & περιστερὰ, ſpecies eſt minor Palũbo, & maior Vinagine, de quibus ſuo loco dicetur. AEliamus ſcribit Columbũ excluſis pullis terrã ſalſuginoſam in os eis indere, ut ea guſtata, deinde facillimè reliquis cibis ueſci queãt. huius auis caro (ut ſcribit Galenus) ad coquendum facilis eſt. Cæterũ quòd uulgus putat hanc auem felle carere, id falſum eſt: nam inteſtino in ea aue fel iunctum eſt.

Cornix, ἡ κορώνη, Corneille. Hæc auis (ut refert Ariſtoteles lib. 5. de hiſtor. animal.) caſtiſſima, & coniugalis amoris ſeruantiſſima, ad uitæ extremũ uidua permanet, unde in nuptijs olim ueteres, poſt Hymenæum cornicem inuocabant, hócque concordiæ ſymbolum his dabant, qui liberorum gratia conueniſſent.

Coturnix, ἡ ὄρτυξ, Caille. Phanodemus apud Athenæũ dicit Delũ ab Achæis idcirco Ortygiã nuncupatã, quòd eiuſmodi uolucres ex mari proficiſcãtur in eã inſulam portuoſam. Dicta eſt autem Coturnix (ut Feſtus

ait) à uoce, à qua multis auibus nomina indita sunt.

Coruus, ὁ κόραξ, Corbeau. De huius auis intelligentia lege mira apud Plinium lib. 10. cap. 43.

Cuculus, ὁ κόκκυξ, Cocou. Sapiens est auis, cui (ut Aelianus ait) cum excludendi pullos facultas non sit, propter frigidam corporis temperationem, in alaudæ & luteolæ nido parit, quòd non ignoret ab his oua suis persimilia pari solere. Si autem earũ auium nidos uacuos repererit, in alios diuertit, ubi oua sunt, hísque sua immiscet: quæ si plura fuerint, ex his quædã perdit, ac in eorum locum sua supponit, quæ non ab illarũ ouis ob similitudinem internosci possint, atque ea postea ab alauda uel luteola excluduntur.

Curuca, ἡ ἐπιλαΐς, uel ὑπολαΐς, auis est, quæ Cuculi oua fouet & excludit: à quibusdam in Gallia dicitur Verdon.

Cypsellus, ὁ κύψελος, auis est hirundini similis, eadem cum Apode: quam auem uulgò Martinetum appellari diximus.

F

Ficedula, ἡ συκαλὶς, auis cui nomen à ficu, qua, ut Varro ait, hæc auis saginatur & pinguescit: uel quòd ficuum tempore (ut Alexander Myndius apud Athenæũ refert) capiatur. appellatur uulgò Becquefigue. De huius auis natura lege plura apud Aristotelem libro 9. de Histor. animalium, quo loco eam aliquando μελαγκόρυφον, id est, atricapillam fieri ait.

Frigilla, ἡ σπίζα, hæc auis apud Latinos (ut Festus ait) ex eo dicta est, quòd frigore cantet, & uigeat: uulgò dicitur Beree.

Fulica, uel Fulix, ὁ κέπφος, uulgò Foulque. A qui-

busdam etiam dicitur Diabolus, *quòd furua sit. uiuit in mari, uel stagnis: ob id uulgò* Poulle d'eaue *dicitur: ex ea uenti prognosticon* Aratus *sumit, cuius interpres multa de ea scribit.*

G

Galerita, Vide *Alauda.*

Gallina, ἀλεκτορὶς, vne Poulle, ou Geline. *Thomas* Magister *annotat uocē* ἀλεκτρυὼν *significare marē & fœminā*, ἀλεκτορὶς *autē esse uocē planè poëticā*, ἀλέκτωρ *uerò uocabulū esse* ἀδόκιμον: *uerùm is fallitur: nam* Aristoteles *lib. 6. de* Hist. *animal. uoce* ἀλεκτορὶς, & Aristophanes *in* Nubibus *uocabulo* ἀλέκτωρ *utitur.*

Gallinago, ὁ σκολώπαξ, *uel* ἀσκαλώπαξ, Bequasse, Videcoq: *Attageni (ut* Aristoteles *ait) similibus pennis est, magnitudine* Gallinulæ, *rostro longo, cursu celeri.* Nemesianus *poëta eā uersibus pulcherrimè depingit,*

Cum nemus omne suo uiridi spoliatur honore:
Fultus equi niueis syluas pete protinus altas
Exuuijs: præda est facilis, & amœna Scolopax,
Corpore non Paphijs *auibus maiore uidebis.*
Illa sub aggeribus primis, qui proluit humor
Pascitur, exiguos sectans obsonia uermes.
At non illa oculis, quibus est obtusior, etsi
Sint nimium grandes, sed acutis naribus instat,
Impresso in terram rostri mucrone, sequaces
Vermiculos trahit, & uili dat præmia linguæ.

Gallus, ἀλεκτρυὼν, ἀλέκτωρ, *tanquam* ἀπολέκτωρ, *id est, à lecto reuocans*, vng Cocq.

Graculus, ὁ κορακίας, *primum genus* Monedularū, vne Graille emmantelee.

Grus, ὁ γέρανος, vne Grue. *Cicero scribit* Grues *cum*

loci calidiora petentes maria transmittunt, trianguli formam efficere.

H

Hirũdo, χελιδὼν, Harõdelle, auis est nota, ueris nuntia: cui à natura summũ donũ tributũ est, ut si acu earũ oculi pũcti fuerint, atque excæcentur, usum recipiant.

L

Liuia, πελειάς, Columbæ species, vng Bizet.

Luscinia, ἀηδὼν, ab ἀεὶ & ᾄδω, quasi perpetuò canens ubi semel inceperit, Rossignol. Multa de huius auis natura lege apud Aristotelem lib.4. & 9. de Histor. animal. & Plinium lib.16. cap.29.

Lutea, ἡ χλωρεὶς, Videtur esse fœmina Vireonis, La femelle du Loriou. Sic autem dicta est, quòd inferiorem partem pallidam habeat.

M

Meleagris, Geline d'Aphrique : parit oua rubro interpuncta, ut Phasiana. Descriptionem huius auis habes apud AElianum.

Mergus, ἡ αἴθυια, auis ex qua tempestatem prænoscimus: de qua lege Aratum & Virgiliũ, vng Plonget. Mergus autem ideo dicitur (ut scribit Varro) quòd cibum captans, se subinde in aquam immergat.

Merops, lege Apiaster.

Merula, ὁ κόσσυφος, Merle, huius auis caro durior, quàm perdicis aut attagenis.

Miluus, ἰκτῖνος, Milan, auis est nota, quam AElianus usqueadeò rapacẽ esse scribit, ut carnes è macello auferat, tamen ex Olympiæ aris nunquam attingit.

Monedula, ὁ κολοιὸς, Chouette, Furatur aurũ, unde illud est Ciceronis in Oratiõe pro Flacco, Nõ plus au-

g.ij.

rum tibi, quàm monedulæ committebant. Grammatici deducunt κλὸν à uerbo κλῶ, quod clamo significat, & pleonasmo τοῦ ο & οι fit κολοιός. Nam clamosa auis est.

N

Nisus, qbusdā uidetur esse nostre Espreuier. De mutatione Nisi in hāc auē lege Seruiū grāmat. in 1. Georg.

Noctua, ἡ γλαὺξ, Hibou, Chathuant. à Latinis sic dicta est, quòd noctu uolet & cantet.

O

Olor, κύκνος, Cygne. Huic aui tanta est in extremo uitæ spiritu tranquillitas, ut sibi tanquam næniam cantet, quanquam Alexander Myndius apud Athenæum dicit se morientes Cygnos assectatum fuisse, eorum tamen cantum non audiuisse.

Onocrotalus, Butor, similitudinem oloris habet, & quum collum in aquam mergit, uelut asini ruditum edit, unde Onocrotalus dicitur, quasi Asini clamor.

Ortygometra, ὀρτυγομήτρα, Le roy & mere des Cailles. Auis est (ut Alexander Myndius apud Athenæum refert) Turturis magnitudine, longis cruribus, colore inter croceum & uiridem medio.

P

Palumbus, Palumba, uel Palumbes, palūbis, φάττα, Ramier, ex columborū genere, maior quàm Vinago. Columborū autē species apud Aristotelē lib. 8. sunt quinque, φὰψ, φάττα, περιστερά, οἰνάς, τρυγών (nam lib. 5. φάβα omittit) id est Palumbes, columbus, uinago, turtur: ut Gaza interpretatur, qui duas primas uoces Græcas una dictione, Latini sermonis paupertate exprimere coactus est. Aquitani uerò, ut distinctæ aues sunt, ita diuersis nominibus eas appellāt. φὰψ enim ab eis, sermo

nis Græci uestigia adhuc retinētibus Phauier dicitur.

Passer, ὁ στρουθὸς, Vng moineau. Hunc auem propter salacitatē, breuissimā uitā esse ferunt. Est & alius Passer alaudæ magnitudine, de quo Actuarius medicus lib. 2. Regaliū sermonū, ἔστι δὲ ὁ μὲν στρουθὸς ὁ μέγας ἐπίγειός τις, καὶ μήτε ἐν δένδροις, μήτε οἰκημαπίοις οἰκεῖ, καθιζάνει δὲ ἐν θαμνοῖς ἄκροις τῶν θαμνῶν· φωνῇ μάλα σφόδρα κελαδείζων, τὸ δὲ χρῶμα καὶ μέγεθος ὅμοιον τῇ κορυδαλῷ, καὶ τὸν χειμῶνα οὐχ ὁρᾶται. Id est, Est autem Passer magnus terrestris aliquis, nō in arboribus, neque in domibus habitat, uerùm in summis uirgultis desidet, uoce admodū garrula, colore & magnitudine alaudæ similis est, & hyeme non apparet. Porrò τῶν στρουθίων nomine auiculas omnes in dumis uersantes Galenus ferè intelligit.

Pauo, uel Pauus, ὁ ταώς. Auis nota.

Paua, fœmina Pauonis ab Ausonio dicitur, tamē Columella semper Pauonē fœminā dicit. Ταὼς autē (ut Athenæus ait) dicitur ἀπὸ τῆς τῶν πτερῶν τάσεως. Id est, ab expādendis pēnis. Galenus scribit huius auis carnē, quàm Phasianorū & Attagenū duriorē fibrosiorémque, & ad coquēdum difficiliorē esse. Pauone sic delectabatur Alexander, ut eius interfectori magnā mulctam irrogarit.

Perdix, ὁ πέρδιξ, perdris. Athenæus scribit lib. 9. πέρδικας & κακκάβας dici, unde factum est κακκαβίζειν, & uerbū cacabo, quod author carminis Philomelæ apud Ouidiū perdici tribuit. Huius auis caro à Galeno inter ea quæ ad coquendum facillima sunt refertur.

Phalacrocorax, id est, Coruus aquaticus, vng Cormorant. Plinius lib. 10. cap. 48.

Phasianus, ὁ φασιανὸς, Phaisant. Hæc auis à Phasi fluuio ad nos traducta est. Martialis,

Argiua primùm sum transportata carina.
Antè mihi notum nil nisi Phasis erat.

Huius auis caro, quòd ad concoctionem & nutrimentum attinet, Gallinarum carni similis est, uoluptatem tamen in edendo superat.

Pica, ἡ κίττα, vne Pie. Auis nota, quæ humana profert, de qua Martialis,

Pica loquax certa dominum te uoce saluto:
Si me non uideas, esse negabis auem.

Pica glandaria, vng Iay.

Picus Martius, δρυοκολάπτης, ab Aristotele.i. quercus percussor dicitur, vng Piuert, vng Pic. Nomẽ habet apud Latinos à Pico Saturni filio. lege Plin. lib. 10. ca. 18.

Psittacus, ἡ ψιττάκη, vng Perroquet. Auis est in India frequens, ubi tamen eam comedere religio est. Sacra enim putatur, quòd humanam uerborum appellationem explanata oris expressione imitando consequatur. AElianus & Plinius lib. 10. cap. 42. & Cato de re Rustic. lib. 3. cap. 9. & 13.

Q

Querquedula, κερχνὶς, vng Rasle. Refertur à Varrone lib. 3. de re Rustic. inter eas aues, quæ nõ cõtẽtæ solũ terra sunt, sed aquã requirunt, ut anseres & anates.

S

Struthiocamelus apud Plinium lib. 16. cap. 5. Autruche. Galenus tamen affirmat στρουθιοκάμηλον non esse uocem ueteribus consuetã, qui eam auem μεγάλην στρουθὸν semper uocauerunt. Struthiocamelũ autem dictum opinor, quòd multa camelo similia habeat: excelsum caput & paruum, longum collum, tibias procerissimas, & frequentibus squamulis compactas. Caro eius

excrementitia est, & ad coquendum difficilis.

Sturnus, ὁ ψάρος, Estourneau. Auis gregatim uolans, uulgò nota.

T

Tarda, ὠτὶς, uel ὀτὶς, Houtarde, asio aliter dicitur Plinio: Latini nomen huic aui à tardo uolatu indiderũt. Nã (ut Xenophon apud Athenæũ ait) uolatu adeò breui utitur, ut siquis instet, eã capere possit. Græci autem à plumis circũ aures demissis, ita ut auriculas referant, ita uocauerũt. Athenæus hanc auẽ μιμητικὴν, id est eorũ quæ homo agit, imitatricem: atque hoc modo à uenatoribus capi scribit. hi enim pharmaco aliquo κολλητικῷ oculos inungunt, quo cilia sibi glutinent: quod dum imitari studet hæc auis, cæca fit, faciléque capitur. Caro eius inter grues & anseres media est.

Trochilus, Regulus: πρέσβυς, quasi auiũ præses ab Aristotele dicitur, uulgò Regaliolus, vng Roytelet.

Turdus, ἡ κίχλη, Vne Griue, ab omnibus ferè dicitur. Huic aui quanquam Martialis primas inter aues tribuit, tamẽ eius caro, quàm perdicis, attagenis & columbæ (si Galeno credimus) durior est.

Turtur, ἡ τρυγὼν, Turterelle, ex genere colũbarũ. Nomẽ apud Græcos & Latinos à sono ei aui inditũ est.

V

Vespertilio, ἡ νυκτερὶς, Chauuesouris, mediæ cuiusdam speciei inter auem & murem est, ut Mus alatus dici possit. Ex uolucribus solus Vespertilio (ut Plinius ait) parit. dicitur autem Vespertilio, quòd uespere se ad uolandum proferat.

Vinago, ἡ οἰνὰς, auis est ex genere columbarũ, de qua iã dictũ est, Grand colomb. Vinaginẽ autẽ uel οἰνάδα

dictam arbitror, q uindemiæ tempore appareat. Sed locū hunc περὶ οἰνάδος apud Aristotelem corruptū uir quidā doctissimus suspicatur, legendúmque putat ἢ ἰνὰς ἀπὸ τῶν ἰνῶν, quòd ea auis ex neruis multis, illísque ualidissimis constet, ut neque parari nisi detracto tergore facilè possit. Hæc *auium pulcherrima est torque insignis, plumis uersicoloribus, corpore amplo, pedibus humilibus: in* Hispania *frequens est.*

Vireo, χλωρείων, Lorion, Gallico *nomine dicitur,* Vide Lutea.

V*lula*, ὁ αἰγώλιος, *noctu pascitur, die raro apparet,* Cheuesche, *alij* Hibou. S*eruius* G*rammaticus* ἀπὸ τοῦ ὀλολύζειν, *id est, ab ululando dictam putat.*

V*pupa*, ὁ ἔποψ, A*uis cristis è capite exeuntibus galeata,* Huppe. I*n quibusdam locis* G*alliæ dicitur* Putput *à fœtore.* N*am nidum suum hominis stercore, luti loco illinit, ne homines ad pullos suos accedant.*

V*ultur*, ὁ γὺψ, Vaultour. A*uis est carniuora. in hominum enim cadauera infestissima fertur, ac hominem ad moriendum uicinum, quando supremum uitæ diem agat, diligenter obseruat.* E*xpeditos etiam in bellū exercitus præsensione quadam consequitur, planè sciens, & quòd ad bellum proficiscantur, & quòd omnis pugna strages edere soleat.* L*ocum futuro bello septem ante dies, quàm pugna cōmittatur, præuidet, in eámque partem, in qua alterutra pars succumbet, respectat.* Q*uamobrem reges olim speculatores solebant præmittere, qui renuntiarent ad quámnam partem uultures oculos referrent.*

INDEX VVLGARIVM NOMInum Arborum, Frutiuum, & Herbarum, aliorúmque uocabulorum, quæ in ordine Alphabeti libri non inueniuntur.

INDEX NOMINVM GALLIcorum & uulgarium piscium, ac earum dictionum, quæ in ordine alphabeti non reperiuntur.

INDEX NOMINVM GALLICORUM & uulgarium auium, ac eorum uocabulorum, quæ ordine alphabeti digesta non sunt.

ERRATA SIC CORRIGITO.

Fo.13.lin.30.Artemisia,πλατύφυλλος,
Fo.50.lin.18.Marrubium, πράσιον:
Fo.64.lin.8.ἡδύοσμον,



EXCVDEBAT ROB. STEPHANVS TYPOGRAPHVS REGIVS, LVTETIAE, ANN. M. D. XLVII. XIII. CAL. AVGVS.